



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In Quo Orationes Sacrae, & Panegyricae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Orationes Panegyricæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71028)



ORATIONES
PANEGYRICÆ,

AD MONITIO.

DE Orationibus istis, quæ sunt penè omnes Panegyricæ, nihil est admodum, quod præmonere necesse sit, nisi ut habeatur ratio Rerum ac Temporum, quibus cum dictæ, tum in lucem editæ prodierunt. Est enim hoc operum omnium fatum, quæ eventis recentibus prædicandis nata sunt, ut placeant, dum vulgantur, quia novitatis habent gratiam; eadem non sic afficiant animos, cum vetustate obsoleverunt. Quòd si minùs ab aliâ par-

R 4

te

te commendabiles Orationes istæ videbuntur , hac me interim consolatione sustentabo ; si modò rerum à Ludovico Magno sapienter , piè, feliciterque gestarum memoriam apud posteros conservabunt, & illustria ac sincera Gallicæ virtutis monumenta habebuntur , adversùs Temporum injuriam comparata.



GAL-



GALLOS

TAM FALLI AB HOSTE NE-
SCIOS, QUAM VINCI.

ORATIO I.

Huit hæc dotes inter plurimas virtus Gallicæ Gentis non postrema, Auditores, ut ingenitum semper amorem recti, & expertem doli fucique animum vel hostibus approbârit. Prognati, quotquot sumus, à genuinâ illâ veterum Francorum Gente, quibus in re bellicâ tam alienum ab omni fraude, quàm invictum animi robur una laus fuit; eandem hanc non in ipso tantùm nomine habemus consignatam, sed etiam in moribus multò magis expressam hæreditario quasi jure gloriamur. Hinc si quid usquam inter nos finitimâsque vel exteras Gentes ortum diffidij, ita diremptum est, ut partam bello famam non stratagematum dolis, sed animi sinceræ virtuti debeamus.

Hanc verò laudem, quam nobis vel negavit, vel invidit nemo, quoties de armorum gloriâ decertandum fuit, ne quis præripiendam putet. Ex quo nacti hostes ejusmodi, qui fallaciâ pugnare mallerent quàm virtute, instructas in perniciem nostram infidias suos in auctores convertimus. Sic enim inanes hostium versutias meliore astu & salvo sinceritatis jure eludendas censuimus; ut amplior deinceps Gallicæ fortitudini campus pateret, & quem parandæ gloriæ aditum fraudes præcluserant,

rant, eundem delusæ fraudes liberio rem aperirent,

Tria cum sint rerum magnarum veluti principia; Providentiæ lumen, Fortitudinis robur, & amor Gloriæ, quæ magnetis instar hanc trahit, illam dirigit; rem satius promovere suam hostis putaverat, si quam ex illis laudibus partem deterens, Gallis quomodocumque illuderet. Res itaque hoc anno utrinque gestas, dum attentius considero, id præcipuè vel inimico Fœderi, vel ejus Principi certè viderur fuisse propositum; ut & rumorum infinità quâdam multitudine, & consiliorum in speciem oppositorum varietate, anxiam, perplexam, impeditam distineret Galliæ providentiam: atque adeò incerta & anceps quâ parte esset oppugnanda, nihil ipsa auderet tentare; sed ab imminentis unde quaque periculi metu penitus occupata, totum sic annum trahens otiosa ludibrio fieret. Sin minus processum foret hac viâ, neque perspicaciæ Gallicæ facere fucum liceret; operæ pretium non leve videbatur inaccessum aliquem fortitudini nostræ obicem opponere, & quam labefactare aperta vi desperârat, pugnam omnem detrectando ludificari & inanem reddere. Quod si neque istud pro votis succederet, hoc certè sibi promittebat solatij, Gallorum gloriæ illudi satius posse, si vacua abiret æstas aliquando una, aut ijs certè careret eventis, quæ Gallorum nomini innatôque ipsis gloriæ desiderio suâ multitudine ac splendore responderent.

Huc ergo hostilis consilij ratio tota, visque recidebat; ut aut Providentiæ Gallicæ aciem falleret, aut Fortitudinis eluderet impetum, aut avidam nobilioris Gloriæ spem frustraretur. Existimabat Hostis scilicet, quo quisque natus est fortior, ita cæteros ex animo suo metiri; & quem doli minus capacem effecit natura, eundem vulgo incautum & minus suspicacem nasci: sic ut quos aperto Marte
esse

esset arduum vincere, multiplici fraude circumvenire non ita foret operosum. Demens qui Gallos non intelligeret tam falli ab hoste nescios, quam vinci.

Providentiæ nostræ aciem astu non uno voluit hostis fallere: non elusam modò, sed & delusam sensit astutiam. Fortitudinis impetum speravit eludere; comitem nobis aut ducem Virtutis solertiam expertus est. Denique addictam Gallicis expeditionibus Gloriam frustrari temavit; quam parabat imminuere Gloriam, auxit vel invitus.

Dicam uno verbo: Hostis callidi consilia cautè invertimus. Pugnam astu detrectantem, ad pugnam solerter adegimus. Obsequentem vel invitâ fraude Gloriam nostras in partes traximus. Ita triplex hostilis fallaciæ genus novo ac licito militaris astutiæ genere vicimus. Quos ergo tam sæpè ut invictos ostentavit ex hoc loco solers Oratorum industria; eosdem jam quavis ex parte falli nescios omnique artè superiores intelligite.

I. P A R S.

Facit insitus hominum animis veri rectique amor, & innocuæ cujusdam malignitatis sensus; suis ut veteratorem implicitum laqueis, suâ calliditate delusum, nemo sine voluptate aliquâ non sentiat. Hoc hilariores Theatri scenæ, hoc lepidiores colloquij sales risu eodem excipiunt. Rem opinor vel non viderat ille, quem fraudum artificem unicum ac veluti à consilijs habet Europa; cum novo bellandi genere, fallaces in Galliam dolos instruxit: veles animo versabat artes, quæ spes, ut aiebat, suas non fallerent: vel certè sic existimabat hac deinceps viâ Gallos superari posse, aut nullâ. Videbat enim verò recentibus claros victorij; nec latebat homini provido ac perspicaci, imminere sibi lectissimum exercitûs Gallici robur.

bur, qui sparsas victi toties Fœderis reliquias disperderet.

Hæc porrò difficultatis summa erat, ut paratam sibi suisque cladem, quoniam vi desperabat avertere, fallaciâ saltem eluderet. Meminerat ille, quo eventu Politicum illud Effatum adhibuisset, *Divide ut regnes*, neque minùs istud speravit jam valiturum, *Divide ut Vincas*. Hac igitur spe fretus, Gallos non invictos fore, si quos magno numero venturos in Belgium metuebat, multas in partes divisos veluti dispergeret; ingentes destinat proximâ expeditione copias, quæ Galliam ex omni parte totam quasi uno impetu invadant. Badensem ex Hungariâ Principem acciri jubet, & in Germaniâ ducem præficit. Sabaudum monet, ut ad oppugnandum Casale Pineroliûmque se accingat. Suas mandat Hispano partes; ut aliquâ saltem belli specie Gallos in Catalauniæ finibus anxios habeat. Classem non minori apparatu quàm strepitu ad exscensionem instruit. Ipse junctis Bataviæ, Germaniæ, Britanniciæque viribus, sibi Bavarôque Belgium designat, singulis inde suo tempore, quantum foret opus, ad peragendum quod instaret, subsidia provifurus.

Neque verò istam consilij sui rationem autcelandam omnino, aut paucis tantùm concredendam æstimavit: imò; quæ cæteris in rebus prodesse solet sollicita arcani cura, non posse eandem in præfentiâ nisi obesse censuit. Sparguntur itaque sedulò, ac nullâ non ex parte disseminantur rumores varij, vetera demum Galliam inter Europamque diffidia, decretorijs hoc anno fati esse dirimenda: cruentum fore, terrâ, mari, in littore, in finibus bellum: formidabiles esse jam in procinctu exercitus, qui Galliæ limites ab Hispaniâ, Italiâ, Germaniâ, Belgio primo Vere simul obsideant: clarissimos Europâ totâ Principes, Sa-
bau-

baudum, Badensem, Bavarum, ipsum Auriacum
tanquam pro aris focisque pugnaturos: Classi ad
exscensum comparatæ nihil nisi tempestatem op-
portunam deesse: Galliam denique obsessæ instar
urbis undequaque concludendam.

Quid multa? Existimatis fortasse, in ijs, quæ
ferebantur, plus ostentationis fuisse quàm fidei:
quasi verò iam parùm perspicaces, aut meticulosos
adèd Gallos hostis putet; ut ludificari se verbis, aut
inanibus terriculis commoveri patiantur. Ita res
se habebant, Auditores, ut jactabatur; bellum, im-
mane bellum toti Galliæ imminebat. Exultabant
hostes, triumphabant æmuli, amici, si quos adhuc
patitur fortuna magnæ virtutis comes, indolebant;
& universus orbis rerum novitate suspensus, quor-
um isthæc evaderent, sollicitè expectabat.

Ipsi verò Galli quid sentiebant, Auditores?
Alij, Politici, quos vocant, homines, ut sibi viden-
tur oculati, qui rationibus suis metiuntur omnia,
quorum in arbitrio Regum fortunam positam dice-
res: ij rem Gallicam summum adductam in discrimen,
quia non videbant, quâ consuli ipsi ratione
posset, affirmabant. Alij meticulosi præter mo-
dum nostrisque plùs æquo diffidentes viribus, ita
differebant; ut Galliam salvam & incolumem hoc
anno vellent, nihil auderent ulterius apprecari.
Alij denique rem æquiùs cæteris æstimantes aiebant
multa virtuti Gallicæ permittenda: esse hoc illius
fatum veluti singulare, ut & numeri damnum vir-
tus compenset, & pro hostium numero nova vir-
tus accrescat.

Quid interim consilij sua Ludovico sagacitas
dictitat, quo inànem eleveat astutiam, suisque ipsam
retibus implicet? Securitati Populorum abundè
prospectum ratus est, si Philippum Fratrem, nomen
Auriaco jam inde à Cassellensi pugnâ satis cogni-
tum, subitis atque improvisis consilijs hostium
unum

unum opponeret. Ipse verò viam ingressus hostem rectà petit, & quem varijs Europæ partibus suppetias ferre meditantem noverat, sic occupat totum ex improvîso; ut copias uno in loco omnes coërceat, easque otiosas demoretur. Vix nuncijs, vix oculis credit Auriacus: mox inopinâ consilij novitate percutus, hæere, deliberare, trepidare. Videt vel hoc primo Regis incessu disturbatas artes, dissolutas omnino technas, nec jam usui esse positas in propatulo machinationes. Tum se sibi uni vix sufficientem æstimans, nec rei suæ immemor, publicæ rei nuncium remittit. Valetò inquit, Germania, & suis se, ut potest, defendat armis: expectet suppetias Sabaudus, quantum volet: Fortunæ nunc suæ permittenda classis: me cura gravior deinceps premit, & rerum moles incumbit major. Deceptus, elusus, circumventus, ne viclus quoque dici possim, providendum.

Nihil hîc vel Auriaco, vel militari prudentiæ nostræ affingimus, Auditores. Nam quid aliud fecisset ille, aut quæ pars deinceps cum Fœderatis commercij extitisset? Hinc proprijs ipsum in castris Regius exercitus, illinc Buflerus coërcebat. Hoc igitur restabat unum, ut turmas inter florentissimas otiosus diu suis putresceret in paludibus, donec turpem ingenti clade fugam redimeret. Sic habemus muneris hoc tui, Regum sapientissime, quòd decipi Gallia nec possit. Additos quidem præsentiam tuâ Gallo militi animos vidimus non semel, eadem nunc interversas statim videmus hostium fallacias.

Ut elusas hinc patet otiosasque fuisse in Belgio Fœderis inimici copias; sic elusam ejusdem suisque pariter insidijs circumventam Classem intelligite. Meminitis, opinor, quantus esset, quàm formidolosus Classis illius apparatus, quæ nostris superventura littoribus & Galliam latè populatura jacta.

jaſtabatur. Concurrerant multa quæ facerent fidem: numerus navium ingens. Machinæ, Pontes, omnis generis instrumenta ad exſenſum comparata. Quis ex totâ illâ belli ſupelleſtile Martium tandem facinus aliquod non conjectâſſet? Nihil tamen minùs, Auditores. Unum hoc erat conſilij, ut & immenſas in Orientem opes magno Fœderatorum lucro ceſſuras exportaret, & auxiliares deferret Sabaudæ copias, militare conſilium negotiationis ſpecie diſſimulans.

At neque commodum ſatis iter per anguſtias freti, imò periculofum videbatur, quamdiu Clafſis Gallica Breſtenſem in Aremoricis teneret portum; unde viam cognoſcere hoſtium & nolentes adoriri liceret. Erat igitur illa opinione metuque deſcenſus elicienda multas in partes, varias in maris oras diſtrahenda: at ſecura minarum nec hoſti pavido temerè credendum exiſtimans portum nihilominus occupabat. Senſit Auriacus, atque ut eſt ad varias belli fraudes, ſi modò præſtare ſe vadem non cogatur, peridoneus, novos ſtatim ſufficit dolos, apud credulas fortè gentes fidem aliquam habituros; atque vario rei incendiariæ apparatus, varijs eo de conſilio rumoribus, certum ignem medio in portu adpromittit.

Opportunam hanc reciprocæ fraudi nactus occaſionem Turvillius ſolvit è portu; nec timorem ſimulare dubitat innatæ fortitudinis conſcius, ne qua illius doli, quem digrediens ipſe componebat, ſuſpicio incideret. Quo demum apud gentem inimicam plauſu, quibus exceptus gaudijs vix ſperatus ille nuncius, quo delatum eſt, timere tandem impavidos Gallos, & periculofam incendiij metu Clafſem auſuſſe? Continuo ſolvuntur anchoræ, quaſi ad triumphum ituris; panduntur vela, & veluti re geſtâ feliciter, ſeſtivas inter ſociorum voces ſeceditur. Ibat longo Anglorum ſtipata comitatu

auris.

aurisque suaviter aspirantibus Batavica Classis; & ad Fretum Herculeum, Herculeâ veluti securitate accedebat. Verùm ecce occurrit insperata Gallorum Classis, quæ per occultos tramites Freto dudum reddita, hostem nihil tale dubitantem præstolabatur.

Fingite vobis cogitatione, si potestis, Auditores, quantus hinc versis subitò fatis stupor, quanta inde promptam expeditamque præsentientis victoriam nostræ Classis exultatio. Unus aberat, aut victoriæ testis more suo futurus Auriacus, aut suis certè has inter rerum angustias aliquod perfrugium suffecturus. Quamquam quid fecisset? Res eò Nostrorum solertiâ erant adductæ, ut liberam fugiendi moram hostes non haberent: ad eò Angli Batavique, populi, si Superis placet, quibus Neptunus sua revelasse mysteria crediur, Nauticæ artis, quam suam putant, videbantur obliiti. Fidem certè omnem superat, ita rem fuisse tractatam, ut spatijs se iniquioribus concludi sinerent; nec secundæ tantùm & dominantis, ut vocant, auræ potestatem, sed & Classis suæ permitterent, terras inter Classemque nostram novo veluti carcere intercepti. Ad extremum quid restabat, nisi ut ingens illa multitudo navium in unum conglobata, ac semetipsam angustioribus locis impediens, præda magis fieret, quàm bellandus hostis objiceretur.

Sed mitto hîc dicere, quàm funestam victoria nostra cladem inimico Fœderi attulerit: quàm multæ captæ naves, quantò plures depressæ, laceratæ, succensæ. Abstineo fusiùs persequi, ut producto per solidum diem certamine sola nox appetens pugnandi vincendique finem fecerit. Parco vicis, ut magnanimos decet, Gentibus, quas jam non Commercij detrimenta, non singulorum damnata tam premant, quàm necessarius de Gallo victore sermo; ad eò ut, quoties de partiendâ inter omnes
clade

clade totâ hyeme contendetur, toties accepti vul-
neris, toties delusæ fraudis memoriam oporteat
refricari.

Perspectum satis jam puto unicuique vestrum,
Auditores, quantum triumphantis illius astutiæ
fama apud sagaces viros detrimenti pati debeat;
nisi forte sit in eludendâ fortitudine, quàm in luden-
dâ Providentiâ felicior.

PARS II.

Ut illudi acerbius forti viro non potest, quàm
si virtutis exerendæ locum astu quis subtraxerit:
ita ignavo homini nemo crudelius insultet, quàm
si pugnam detrectantem pugnare nihilominus ade-
gerit. Hoc verò, si usquam aliàs, Nervindensis cla-
des comprobavit.

Desolatos præteritis cladibus conjurati Fæde-
ris Principes hac spe recreaverat Auriacus, sic pro-
movendam hoc anno pollicitus rem communem,
ut non procul ab ipsis Regni penetralibus castra
metaretur. Dignum illud Britannici Imperatoris
audaciâ consilium visum est Ludovicò. Neque
hoc tantum, sed pro humanitate suâ singulari &
partiri cum hoste voluit longioris viæ molestias, &
ad ipsius castra progressus, avidum in Auriaco, si
quis esset, laudis animum explere cogitabat: ut
qui domitum se hætenus ab inferiori Ducum ordi-
ne doluerat, victus saltem ab invicto Rege solati-
j in clade aliquid, imò gloriæ inveniret.

At neque istis captus est illecebris Auriacus,
sive tantum à tanto Rege impertiri sibi honorem
vix crederet; sive larvatam personatamque Maje-
statem cum æquâ legitimâque potestate serio non-
dum auderet committere; sive ipsa Ludovici præ-
sentia audaces reprimeret animos. Ut enim diffi-
cillus est propiores vicini solis radios, quàm eos-
dem è longinquo intueri; sic neque ipsi tam facile
vide-

S

vide-

videbatur præsentem hostem fixis oculis sustinere, quàm contempnere absentem. Ut ut est, tam æquam virtutis exerendæ conditionem respuit malè consultus, maluitque, si ad pugnandum cogeretur, Martis aleam cum Luxemburgio rursus experiri; futurum fortè confisus, ut fortunatior evaderet Britannicus Imperator, quàm Batavorum aut Dux, aut Consul olim extitisset.

Id tamen quanquam novum & insolens miretur nemo: alios habet ad gloriam aditus præcis Heroibus ignotos. Censuit nempe hoc unum sibi honorificum satis, si Gallicæ fortitudinis impetum, cui nihil arduum aut invium maximè Regis ad præsentiam esse solet, multa fallendi arte possit eludere; & qui Ajacis virtutem æmulari non valebat, Ulyssis certè astutiam exhiberet. Meminerat etiã fortasse, veteres illos Germanos, ex quibus prognatum se gloriatur, quanquam laudis pugnaeque avidos, gloriosum sibi duxisse, si quo modo Cætare, rapidosque victoriarum cursus morarentur; saltibusque suis & paludibus clausi, inaccessibleibus armis victricibus munimentum opponerent.

Hoc fretus exemplo simul & accensus Auriacus muniri castra jubet; saltem ut qui se invictos jure suo Galli exultant, victores se esse aliquando deditcerent. Continuo vidisses collectas totius Europæ vires abjectâ omni laudis alterius curâ securitati suæ adlaborare; alios fossam ducere, alios vallum circumdare, alios aggerem extruere. Sed quid ego hinc fossam, quid vallum, quid aggerem dico? Fossæ fossis, vallis valla, aggeres aggeribus adduntur, accumulantur, multiplicantur. Nunquam Acheron ipse, quem Styge novies interfusâ circumseptum Poëtæ fabulantur, tam difficiles Manibus inferis moras obtendit. Fossas quatuordecim non minùs unâ suis vallatas munitionibus ac
re-

repagulis defensas numerâsles. Accedebat ex longo prævisa opportunitas loci, sepibus, rivis, paludibus, salubus intersecti: sicut ad castrorum defensionem & ad provida cauti Principis consilia, ars & natura conpirâsse viderentur.

Unus tamen se offerebat per angustias pagi, quem Nervindam vocant, quanquam difficilis accessus: sive id aut vigilantia Ducis, aut perspicacia potius exciderat; sive relictus de industria malignus quidam, uti fortè gloriabatur, aditus; non tam ad provocandam audaciam, quàm ad castigandam temeritatem compositus.

Hic verò quid miremur magis, Auditores, an expertem periculi in Auriaco securitatem; an avidam discriminis & contemptricem in Gallis audaciam? Erat sanè in tantâ pugnandi vincendique morâ, unde virtutis præservida Gallos pœniteret, qui novum in singulas horas exurgere hostem vellet. Et quanquam hæc ipsa, quam ferebant iniquius victoriae prolatio, novam in dies ignaviae labem Auriaco inureret; tamen, quia venisse Gallis, vicisse est; spes differri vel uno die suas, idem esse atque auferri aestimabant.

Plaudebas interim tibi hominum, ut conjurato Fœderi videris, astutissime; & elusum Gallicæ fortitudinis impetum confidebas; hac confidentiâ fretus, quia majorem multò propugnaculorum molem, quàm Germani olim tui Cæsari objecissent, nobis opposueras. Tamen nesciebas alia esse ingenij, alia virtutis stratagemata: Ac licet Germanicam simplicitatem multa calliditatis arte longè superes; non cogitabas, tibi non alterius Cæsaris, sed Ludovici virtutem sustinendam? Quanquam ne metue: non faciet Ludovicus, ut victum te ab ipso, quoniam id honoris inconsultè abnuisti, aliquando superbias. Hanc dabit Luxemburgio provinciam, novit ille quâ parte sis impetendus; tūque,

quid vera virtus contra dolum valeat, rursus experiere.

At enim quid agimus, aut quid meditamur, Auditores? Exercitum nempe, amplum numero, valentem robore, superbo Europæ delectu collectum, munitum castris, vallatum aggeribus, ipsi temeritati invium aggrediemur? Idne prudenter minus, quàm viriliter susceptum, excutiat otiosus si quis velit. At ecce jam ad manus ventum est; nescit longiores moras virtus Gallica, & impatiens teneri, erumpit, emicat, volat; Nervindam petit, obsidet, premit: Nervindam fatalem illum, ut sperabant hostes, virtutis Gallicæ & scopulum & tumulum.

Neque etiam existimate, Auditores, genus illud victoriæ fuisse ejusmodi, ut primo quoque impetu parta, vel labore nullo redempta sit. Hostes nati sumus contra morem strenuos; qui nec lacessiti refugere, nec oppugnati cedere, nec victi semel abistere noverant: iterum iterumque pulsati, fusi, fugati, necdum à pugnando, aut certè resistendo abstinebant.

Expugnata tamen Nervinda est. At victoriæ quantula pars! Restabant impetenda castra: labor ultimus, & summus. Dixisses enim verò positam pro castris Nervindam, quâ veluti escâ illecti Galli, spe ulterioris prædæ in paratos sibi laqueos inciderent. Hinc enim per angustas fauces veniendum in brevem contractamque planitiem, ubi nova periculis seges. Ibat nihilominus non tam ad pugnam, quàm ad certam stragem Equitatus Regius; quem eminus hostes conspicati, exultare jam animis, & oblatum sibi vindictæ locum gratulari. Quæ tamen ut certior sit & amplior, coercendam illam tantisper, & iræ parcendum putant. Verebatur hostis scilicet (tam parum nota Gallorum indoles) ne primo impetu attoniti, qui ducebant

bant agmen, cautiùs recederent, & speratâ ipsum prædâ frustrarentur.

Vixdum tamen explicati pauci Equites statim in castra provolant, & stricto mucrone minacem hostium ferociam anteverunt. Mutata jam rerum facies, revulsa septa, claustra perfracta, aggeres dissipati. Nam quid adoriri metuissent, qui tam ardui periculosique operis Duces ac Principes habebant, Carnutensem, Borbonium, Contiacum, Nobilitatis Gallicæ & Robur & Exemplum. Effet certè unde Victoria posset meritò redargui; si ipsorum obsequijs dudum mancipata, solitâ dubijs in rebus fide caruisset. Nihil querimur, Auditores; ex quo Victoria nostra est, nusquam aliàs fidem illustriùs approbavit. Quisquis restitisse ausus est, temeritatis pœnas dedit; quisquis aufugit, suam, Harcurio vindice, luit ignaviam. Si quis autem majora veris narrari putet, Auriacum consulat; qui, dum progressus cæteros, & Carolopoleos obsidionem placido spectavit ac tranquillo vultu, Nervindensi Victoriæ quasi sigillum apposuit. Sed hæc tantarum rerum commemoratio, vereor, ne quid Gloriæ præripiat; quæ dudum nos ad se volentes rapit.

III. PARS.

Avidam gloriæ gentem inter angustos vulgaresque armorum eventus coërcere, luisse est, Auditores. Atque hic demum scopus fuit, in quem hostes Galliæ postremò collimârunt. Scilicet hoc unum superesse solatij videbatur, ut, quoniam facere non poterant, ne totus hic annus magno rei Gallicæ bono cederet; saltem illius splendorem obscurarent; ac neque responderet Gallorum famæ, neque spem avidam gloriæ, quam præceperant, satis expleret. Quod si vel semel fuissent consecuti, futurum omnino confidebant, ut Gal-

los magnis jam rebus assuetos illius Idemum belli pœniteret, quod novis insolitisque evenis caruisset. An verò sua eos ratio fefellerit, an res hoc anno gestæ nomine Gallico dignæ videri debeant, per vos ætimate.

Rem ubique strenuè feliciterque, vel hostium consensu gessimus. Conjuratas totius Europæ vires aut fregimus, aut elusimus: exiguas numero copias castrorum solertiâ & celeritate omnibus in locis auximus, ac veluti multiplicavimus: nihil clam, nihil non aperte atque ipso hostium in conspectu, aut suscepimus, aut confecimus: tribus prælijs iisdemque decretorijs, bis terrâ, semel mari, plenè cumulatèque vicimus: tres Urbes eâsque primarias ac fortissimas expugnâvimus: quod armorum vis non effecit, id ipso nominis terrore perfecimus: in tantâ rerum prosperè gestarum multitudine, varietate, magnitudine, nihil damni, nihil detrimenti, nihil adversi pertulimus: denique non hostium modò pavidam expectationem, sed & ipsi spes nostras superavimus: rogo vos, Auditores, si nondum fames gloriæ satiata, quid illam explere possit?

Agite enim verò quæ pars Europâ totâ victores Gallos non sensit? Sensit vel in ficti Regis clade victricem Luxemburgij audaciam Britannia: sagacem Lorgij solertiam Germania: patientem moræ Villaregij efficaciam Belgium: vividam Catinati cautelam Sabaudia: providum Noallij vigorem Iberia: actuosam Estræi peritiam mare internum: acrem Turvillij industriam Oceanus.

Sunt hæc certa virtutis Gallicæ monumenta: quid porrò cum istis Hostes conferant? Quid Auriacus in Belgio tot millibus hominum circumseptus? Quid Auriaco additus comes & consiliorum particeps Bavarus? Quid avidus gloriæ Badensis superbissimum totius imperij delectum secum trahens?

hens? Quid tota, quàm latè patet, Hispania ad audendum aliquid comparata? Quid minax Sabaudus in victis illis tempèrque victricibus turmis infructus? Quid Angliæ, quid Bataviæ vires in unâ eadèmq; classe fœderatæ? Victi penè omnes, aut omnes faltem otiosi.

Tamen dicamus quod res est: Auriacum fuisse toto hoc anno otiosum, nihil adèd mirum, Auditores. Hunc novimus mirum quidem in proponendis consilijs acrem ac vividum: in præcavendâ periculorum serie sagacem ac solertem: at in re agendâ strenuum ac felicem, nemo illum ausus est suspicari. Neque verò hanc laudem vel affectet ipse, vel invidet. Si quod modò argutè totâ hyeme differendi vel apud Batavos in Comitijs, vel apud Anglos in Senatu argumentum nactus erit; si novas fallendi artes excogitare; si belli plures in annos producendi vias invenire potuerit; hoc demum contentus satis, cætera Fortunæ facillè permiserit.

Sed Bavarum, Auditores, virum tam pugnam, tam prælijs assuetum, non est adèd promptum intelligere tam amantem otij: nisi fortè frequentius cum Auriaco commercium id effecit, ut dedisceret victorias, & actuosus ille pugnandi ardor refrigesceret.

Sabaudum verò nemo dubitet venisse hoc animo præparatum; ut pugnaret fortiter, ne Sabaudi nomen solum, ac rei ipsius inane gereret. Incensas agebat eodem studio copias: & destitutus exercitu Catinatus nullam nisi solo cauti & insidiosi Ducis nomine facere moram videbatur. Verùm in obsidendo frustra Casali Pinerolióque tempus malè consumpsit & vires infregit suas: meliùs actum cum infortunato Principe, si bellandi ardorem consilij vis adjuvisset. Utramque Classem contra, An-

glicam & Batavicam nimia delusit sagacitas, ac perdidit.

At Badensem Principem, Heroem illum Orientis spolijs onustum, Domitorem Hungariæ, Ottomanici Imperij terrorem; quem nobilioris cujusdam colligendæ in Germaniâ Laureæ confidentia medijs è triumphis exultantem rapuerat: illum, inquam, junioris Principis adventu conterritum hæsisse ipso in vestigio: reveritum esse Philippoburgi Expugnatorem: avidum laudis repressisse impetum: confisum esse castrorum latebris, ac veluti cavo absconditum delituisse: hoc miraremur porro, Delphine, Serenissime, nisi jamdiu fecisses omnibus exploratum, præsentiam tuam magni exercitûs instar esse.

Sed quò me rapit, Auditores, Gallicæ gentis ætuoſa vis & incredibilis celeritas? Unam video, an multiplicem, an eandem varijs in locis objectam & quasi recens, ac de integro procreatam? Nam quo tandem nomine designabimus peragratas ab iisdem copijs tam multas tamque disjunctas exiguo tempore Europæ partes; neque tam passibus quàm victorijs consignatas? Vix illæ domito proprijs in castris Auriaco, in Aremoricæ ac Neustricæ oras excessere; seu jam pœniteret cœpisse partem quietis aliquam, seu laboris periculique aleam cæteris inviderent, rursus in Belgium revolant: inde repressis in Germania Badensis Principis conatibus, in ultimos Pedemontij fines permeant: ibi vix sumpto concubiæ noctis ad respirandum spatium, ecce manè primo cum hoste jam concurritur, conferitur, depugnatur.

At qualem & quantum hostem fatigatis jamdiu per immensas itinerum asperitates putatis fuisse Gallis objectum? Neque enim cum Sabaudicis modò legionibus, aut montanis illis latronibus, quibus à Cirratis canibus nomen est, decertandum erat:

erat: (quanquam nec satis æquis conditionibus fessus labore viâ miles, fractis & exhaustis penè, ut par erat, viribus, requietum, integrum, ac vigentem aggrediatur) at cogitate victrices Leopoldo sponse turmas, assuetas triumphis, invictas: Equites cataphractus, qui nec plagis, nec morti facere locum viderentur: Gigantas, qui juventutem Gallicam non minore fastu despicerent, quàm superbus ille Philistæus parvulum Davidem olim contemnebat. Viros illos denique cogitate tam offensivis animis, tam capitalibus odijs ad perniciem nostram incensos, ut contra fas legesque belli, Gallos ad unum omnes impio etiam sacramento interfectioni devovissent: non humanitate minùs quàm fortitudine inferiores nobis, qui certi vincere, vel in ipso pugnae aditu commune victis perfugium aperuimus. Hic erat virtuti Gallicæ sustinendus hostis, coërcendus, superandus.

Jam illi processerant in aciem, & superbam virum ferociam ostentantes, se se à reliquis copijs sejunxerant, quasi primos ictus illaturi. Progrediuntur obviam nihilominus Equites Galli. Illi subsistere, ac veluti confidentioris audaciæ jam pœnituisse, frigescere. Non tulit tantam in hoste tumido ignaviam juvenus Gallica; sed effusis statim habentibus hostes invadit, urget, premit; & impressione semel iterumque ac terribè feliciter factâ turbatis ac trepidantibus insultat. Frustra illi æreas moles & invia ferro corpora obtendunt; pulsantur, prouuntur, & qui nullum vulneribus spatium dabant, subvertuntur. Inde rupti ordines, mota omnia, & fluctuanti similis acies ingentem Victoriæ campum aperit. Instant avitæ virtutis, originisque memores Fratrum par nobile Vindocini, Vinsius, Hoguettus, luctuoso mox heu! fato perimendus, Larræus, Varena, Uffonius, & fugitantes turmas dissipant ac concidunt. Túque, tametsi de te s-

luisi, Catinate, totam victoriæ laudem in singulos dividens; non facies tamen, ne quod multiplices jam laureæ tibi vindicant Sabaudici nomen, illud novo deinceps titulo mereâre. Frustra clam fore te æstimâsti, qui præsens ubique nemini latere poteris; qui singula pugnæ momenta ita moderabâre, ut in te unum intuens Miles, Centurio, Legatus, sui quisque officij partes quasi oculis legeret. Noli igitur tibi ipse, quam præripiat nemo, partam ad Marsaliam laudem invidere. Victoria illa tota tua est, quam ita informâras animo præviisque literis descripseras, ut qui rei totius successum deferret, novi planè afferret nihil.

Persequamur porrò tristes fugientis exercitûs reliquias, Auditores; at enim nemo se offert ex loricaeis illis Equitibus. Circumspicio, video projecta miserabilem in modum & acervatim congesta equorum, equitûmque cadavera: adhuc enses in manibus, in oculis spirantes minæ, in vultu mixta dolore ferocitas! Hæ illæ sunt victrices invictæque turmæ, quas ex Hungariâ non tam ad pugnam, quàm ad victoriam properare dixisses? Hanc si laudem integram intactamque vellent, debebant providere, ne sibi cum Gallis res unquam foret.

Quis interim Ludovici sensus, dum victricis ubique Galliæ fama personaret? Notum hoc tibi, Deus immortalis, cujus ante aras Princeps religiosissimus plenos grati animi affectus effudit. Tamen quidnî suspicemur id sensisse illum, quod professus non ita pridem palàm est, cum victores ad Stinkerkam Galli nunciarentur? Sentio equidem, inquietabat Rex optimus, debere me Deo plurimum, qui nasci me Regem voluerit: at ei plus certè debeo, qui me Regem Gallis præfecerit. Felicem enim verò te, Ludovice, qui Gallis imperes! Feliciores, te imperante, Gallos!

At,

At, ne quisquam narrari sibi fabulas, aut dari verba existimet; testes habemus rerum gestarum, eosque peridoneos. Non negabit veri amans Hispania, expugnatas suo in conspectu Rhodas, reghorum ipsius omnium claustrum ac clavem. Fatebitur Badensis Heydelbergam, Palatinatus caput, inspestante florentissimo exercitu occupatam. Nonaginta duas naves magno suo luctu, majore etiam detrimento captas vel depressas renunciare possunt reliquæ superstitēs, quæ sociarum cladem ac ruinam conspexere. Carolo regium, propugnaculum inimici Fœderis, unicum expugnati Namurci solatium, vidit obsessum diu junctus Bavaro Auriacus: at lenti præter morem Galli (credo ut præsentem stimularent acriter) nihil aliud profecere, nisi ut Spectatoris otiosi nomen, quod nuper ad Namurcum Montesque promeruerat, subterfugiens, ante expugnatam urbem recederet Britannos suos revisurus.

Tamen quam putatis orationem habiturum apud ipsos Auriacum, dum ruentis ad communem servitatem populi gratulationes excipiet? Quibus demum artibus clades dissimulabit suas; aut inanes totius anni conatus excusabit? Sed quid Britanniam solam appellem Europam ipsam totam, Auditores, ad Comitata Batavica mox congregandam quâ fronte, quo vultu alloquetur; dum illa exultantem obtrudet multiplici victoria Galliam; cujus Providentiam fallere, vel eludere Fortitudinem, vel certè spem avidam Gloriæ frustrari oppigneratâ toties fide promiserat? Iniquiorémne sibi Fortunam, vel per se, vel per fautores ac clientes, ut solet, suos causabitur? Equidem scimus probatum rebus adversis jamdiu Ducem: at quid Europam juvet ille, quem iratis natum satis constanter expectatur? An verò, quod scriptitasse illum ferunt ad Sabau-

Sabau-

Sabaudum post Nervindæ cladem, afferet; sibi rem esse cum Gallis gente turbulentâ ac præferoce: contra quam nulla consilij ratio, nulla satis certa prudentia sit? cui lex una belli audacia, summa laus temeritas: quæ Victoriâ quovis pretio bene redemptam putet, atque, ut detur vincere, vitam & mortem in æquo ponat? At itâne suis in rebus Europa cæcutire obstinet; ut non sentiat victorijs non dedoceri audaciam; neque suum ipsius factum tam citò immutandum, si heroica illa, quam Auriacus temeritatis arguit, fortitudo Gallis deponenda sit. An demum, uti declarat recens Numisma ad solatium amici Fœderis, séque, & suos patientiæ uni devovebit? Est sanè unde magnanimitati diffusus, sibi ac cæteris ab longanimitate diuturnum in tempus cautè provideat.

Conjurata non tam in Galliæ, quàm in tui ipsius perniciem Europa, quamdiu jactari te ac deludi impunè patieris? Fatali quinque jam annorum experienciâ didiceras; quàm futile, quàm inane foret in Auriaco fortitudinis præsidium: quid ab ipsius industriâ sperare possis, præsens hic annus edocet. Illuc recidit ipsius astutiæ fiducia, quo vana virtutis ostentatio reciderat: vel si quid sua illi fallacia profuit, profuit hoc certè plurimùm, te ipsam ut falleret. Vide ergo delusâ toties quam sis Auriaco fidem deinceps habitura; qui dum quæstuosum honorificumque sibi uni bellum tuis impensis alat ac producat; nihil admodum putat interesse, suos an alienos, hostes an amicos deceperit?

Tu interim gratulare tibi Gallia, & fremente nequicquam hostium, qui te undique obsessam premunt, Invidiâ, plaude tibi: quòd nullius nisi cœlestis opis indiga, tibi relicta uni contra Fœderatas Europæ vires restare aliquando potueris. Plus orbi infenso debes quàm amico. Intellexisti
nimi-

nimirum parùm utiles amicos, quos liceat hostes
contemnere: ac pares orbi tuas unius vires, quas
Ludovici dirigat prudentia, Cœli Providentia
sustentet.

Oratio habita Anno M. D. C. XCIII.



LUDOVICO
MAGNO
PACIFICO VICTORI
GRATULATIO
ORATIO II.

Quod diuturnum laboriosumque navigationis
cursum expertis contingere solet, ut assècuti
portum feliciter exantlatos labores variòs-
que periculorum casus non sine voluptate aliquã
meminerint; hoc sibi hodie longo gravique de-
functâ bello, & optatum Pacis adepta munus Eu-
ropa tota gratulatur; Illustrissimi, Amplissimi Se-
natores, cæteri que Auditores ornatissimi.

Redijt enimverò postliminiò revocata tandem
amica Pax, audita Superis pia populorum vota, &
infestæ bellici incendij fides extinguuntur. Meum
securitas, perturbationem quies, lætitia mœrorem
deinceps excipiet; & tristes funesti belli ruinas
tranquillæ Pacis comes felix rerum copia postmo-
dum compensabit.

Gra.

Gratias igitur tibi primùm immortales, Regum custos moderatòrque Regnorum Deus; à quo cæleste Pacis munus profectum est: tuum illud beneficium est totum, quod nemo præter te generi hominum impertit; Tu belli unus Pacisque arbiter, illud, si placuit reos plectere, scelerum æquus ultor immitis; hanc populorum labores miseratus, indulges. Tu nôsti solus, quâ parte corda Principum facile inflectantur; & quos æterno consilio favere discordibus animis permisisti, mutuam eodem, cùm libitum est, in concordiam reducis.

Atenim quem sibi pacis ministrum selegit in terris Deus? cujus in restinguendo bellici furoris incendio usus est manu? quis inspirante illo reluctantem Europam ad certas expectati fœderis condiciones adduxit? Jam sensistis quem velim, Auditores, quæ dicturus sum, occupâtis: video convertos omnium oculos in imaginem Regis invictissimi; cujus munificæ liberalitati Pacem acceptam meritò referimus.

Gratulemur enimverò conciliatori tanti muneris Ludovico: prædicemus beneficam largientis manum: & dum nostra omnium cumulat vota, perenne, si quod & nobis esse potest ejusmodi, animi memoris ac grati monumentum existat.

Quamquam nos aliò vocant studium & voluntas optimi Principis: gratulationes nostras ijs impendi rebus postulat, quibus, in conciliandâ Pace, suas ipse curas, sollicitudines ac gloriam totius impendit. Agite igitur, convertâmus animos, quò Pacis consilia voluntatèque contulit Ludovicus. Gratulemur Religioni primùm, quæ tot tàmque gravibus in Galliâ nostrâ multos per annos jactata casibus, hodie tandem felicibus Ludovici Magni auspicijs triumphat; & omnis deinceps periculi securâ expectatæ Pacis in præsidio conquiescit. Grātule-

tulemur deinde Europæ toti, quæ Principis optimi beneficio, funestissimos, quos lugebat jamdiu, & lugere adhuc non desistisset, armorum tumultus beatæ Pacis tranquillitate commutavit.

Sic est, Auditores, neque vereor, ne quis mihi non assentiatur, cum fin nihil dicurus, quam quod in ijs, quas pro consecrâ feliciter Pace scripsit, literis Ludovicus ipse palam consignavit. Advertite igitur animum, & totam orationis seriem ordinemque cognoscite. Dum studere Pacis tam impensè visus est Ludovicus, Religionis securitati ac gloriæ consuluit: hoc primum; Europæ totius commodis ac tranquillitati laboravit, hoc alterum.

Vidit enimverò Rex sapientissimus idem ac religiosissimus, quandiu sæviret armorum furor, vix futurum, ut Religio, quam ipsi pepererat in regno suo gloriam, eâ gauderet constanter aut sine metu: & Hæresi profligatæ spem super aliquam resurgendi adfuturam: sustulit Religioni causam metûs, spem Hæresis omnem constanti Pace Ludovicus excidit; hæc erit orationis pars prior. Sensit Princeps optimus præteritis Europam cladibus non modò exsaturatam non esse, sed funestam bellandî libidinem etiam in dies irritatam & accensam magis; cepit Ludovicum commiseratio publicæ calamitatis, &, quod tot victorijs ac triumphis non potuit assequi, id liberaliter concessâ Pace perficiendum putavit; hoc posteriore Orationis parte conficiam. Quod utrumque, quam facile mihi videor demonstraturus, tam erit, Auditores, vobis in promptu, quantum Pacifico Victori Religio, quantum Europa debeat, facere conjecturam.

I. PARS.

I. PARS.

Ac primò quidem, ut intelligatis, Auditores, quantum Religioni beneficium Rex Pacificus contulerit, repetite, quæso, memoriâ, quibus tandem facibus fatale bellum ante annos decem exarserit. Triumphabat in Galliâ sapientissimi Regis auctoritate Religio, & in pristinam restituta dignitatem libertatis suæ vindicæ assertorique applaudebat. Pulsa scilicet Hæresis honoribus quos occupârat, propugnaculis dejecta, spoliata templis, toto regno proscripta, denique lethiferum experta vulnus extremo confecta spiritu videbatur.

Tamen illa, quis crederet? vel inter istas rerum suarum angustias non est oblita solitæ ferocitatis; ausa est animos resumere, colligere succisas vires, suscitare fortunæ melioris expectationem; & quod jure amiserat, illud velle contra fas recuperare. Tum verò perniciosâ machinari consilia; cogitare vim apertam, meditari prælia, & se ad cruentum, si quod unquam extitisset, bellum accingere.

Interim excedendum illi fuit nihilominus cum ignominiâ Regni finibus; etenim non aderant opes quibus niteretur; non Principes quorum auspicijs bella gereret: non armati mutua in perniciem civēs, quorum gladijs conjuratis uteretur. Principis majestas ac veneratio, insitus omnium animis in illum amor, constans Gallorum & avita pietas, omnem aditum ac spem Regni domesticis, ut olim, diffidijs turbandi præcludebat.

Quod non habebat domi, quæsiuit foris: nam sive resides populorum animos pigeret longioris otij; sive rerum Gallicarum æmulatio sparsisset jampridem discordiarum semina: sive illustriorem Religioni triumphum providus futuri ac dispensator Deus adornaret: vidit Hæresis quasi primo impetu

petu vires crescere in immensum, vidit paratos ad defensionem suam accurrere populos omnis generis; atque inde majus sibi robur afflari sensit, unde sperandum minus videbatur.

His inflata præsidijs, tam lætis omnibus excitata, non ignoratis, Auditores, quibus tandem finibus Hæresis spes & cogitationes terminaret suas? Parùm erat, si vivere obscura ac sine nomine intra Galliæ penetralia sineretur, si legibus suis, ut paulò antè, ac moribus uti licuisset; si Foro, Castris, Aula, Commercio, unde se ejectionem mærebat, de integro restitueretur. Sed involabat animo in honores quosque amplissimos: sed excitabat è ruinis ac ruderibus sublata jam ac sepulta superstitionis impiæ monumenta: sed nova jura, novas immunitates, ampliora privilegia extorquere meditabatur, quorum beneficio erecta deinceps ac secura volitaret.

Hæc porrò quàm erant sedulò meditata, tam citò peragenda jaclabantur: imminebat scilicet tempus illud, quo luctuosum toti Galliæ exitium portendebatur; atque ut non deesset oraculorum fides, quæ rei tam novæ tamque incredibili pondus atque auctoritatem adderet; eruebantur è vetustis, veridicisque, ut aiebant, vatum monumentis, & ferebantur non clam, sed palàm; non apud vulgus modò, sed etiam Principum in aulâ prædictiones; & illæ quidem non obscuræ, ut ferè accidit, non ambigæ, non implicitæ verborum involucris, sed apertæ, sed manifestæ, sed explicatu faciles; quæ sine circuitione vel ambage ullâ fatalem rebus Gallicis annum, penè dixi diem ipsum & horam, designarent. Nihil hîc fingo, Auditores, nihil comminiscor; sunt hæc pervagata quæ dixi; scilicet his nugis ac somnijs ludebatur credulitas Europæ propè totius, quam suas in partes Hæresis scientem ac volentem dicam, an invitam potiùs atque insciam pertraxerat.

T

Hæc

Hæc tempestas in quos tandem eruptura videbatur? in quos comparata tot fœdera, tot arma, tot oracula? Scitis, Auditores, in unam Galliam, cui inexpiabile cum Hæresi bellum susceptum erat. *Fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Psal. 2.

Meministis enim, Auditores, ut securus exortæ tempestatis ac procellæ Ludovicus sine ullâ trepidationis aut metûs significatione retundendis hostium conatibus animum adjecerit; ut datis continuo mandatis per Provincias, quas Præfectorum prudentia ad subitos casus quodammodo præparaverat, populos in partem laboris vocaverit; ut adnitente potissimum studio, dexteritate, vigilantia fidelis imprimis Administrum, * quem ereptum sibi difficillimis temporibus luxit Gallia, & lugeret gravius hodièque, nisi paternarum virtutum æmulatores filios reliquisset: meministis, inquam, ut conscripti statim milites; ut comparata etiam ex improviso cuncta ad grave diurnumque bellum necessaria; ut instructi terrâ marique florentissimi exercitus, qui Europæ conjurantis impetum non sustinerent modò, sed etiam superarent.

Ita munitus ab omni parte Ludovicus, & fiducia divini Numinis, cujus causam tuebatur, potissimum recreatus; quàm confidenter bellum ingressus est! quàm processit in eodem feliciter! quàm æquali rerum secundarum constantia illud ad finem usque perduxit! ut primo statim aditu spes infractæ inimici Fœderis! ut resectæ fraudes, disturbata consilia, retardati impetus ac compressi! Tot inter hostes ex quibus coaluerat metuenda conjuratio, quis eorum non victus iterum atque iterum, aut ubi tandem non victus? Percurrite mecum animis loca singula, quæ cruenti diurnique belli quoddam veluti theatrum extiterunt: lustrate diligenter anfractus vallium, nemorum latebras, spatia campo-

* *D. de Louvois.*

rum.

rum. Est aliqua pars uspiam, quæ virtutis Gallicæ monumentis caruerit, aut non insigni aliquâ hostium clade fuerit consignata? Quot captæ urbes, quot expugnatae provinciæ, quanta spoliolum vi ac multitudo relatas toto decennio victorias loquuntur ac prædicant!

Præclara hæc quidem, Auditores, & tam gloriosa virtuti Gallicæ, quam ipsi Religioni trophæa! at neque hæc tamen satis Religionem in tuto collocabant. Vidit hoc Princeps sagacissimus, neque ipsum latuit non esse belli tempus promovendæ Religioni satis idoneum: silere plerumque vel sanctissimas leges in armorum licentiâ, aut earum saltem derobore multum infringi: distrahi aliud gravioris belli sollicitudine attentionem animi, ne ad extirpandas penitus nondum extincti satis mali fibras totus incumbat: Errori fore locum turbas inter ac tumultus, ubi lateret tutius, aut etiam facilius invalesceret: turbatam eo consilio fuisse ab Hæresi Europæ tranquillitatem, ut quod amiserat pace, id, si posset, bello reciperet: denique nunquam firmum satis aut stabile futurum, quodcumque vel Hæresis extinguendæ, vel propagandæ Religionis causâ faceret, nisi Pax solida, constans ac diuturna id ipsum fortiùs ac tenaciùs astringeret.

Atque hoc fuit, Princeps religiosissime, quod tam ægrè descenderis ad ineunda belli consilia; quod studiosum usque pacis animum ostenderis; quod palàm totiùsque orbis in oculis professus fueris tam sæpè, aliena semper à bello fuisse tua consilia; neque te impelli ad arma capienda nisi invitum ac reluctantem posse. Non te hostium numerus, non Europæ facies, Galliæ in ruinam ac perniciem conjurata, non dubius atque anceps periculosi Martis exitus perterruit. Erat vel in ipsâ periculi magnitudine quidpiam, quod avidum lau-

dis animum titillaret: pulchrum erat stare unum adversus omnes; & partarum recens victoriarum memoria spem nescio quam victoriæ, novum atque insolitum robur afferebat. At te Religionis studium, cuius ad stabilitatem propagationemque pertinebat alta Pax, multò magis incendebat; hoc volebas unum; hoc unum cogitabas; huc studia, contentiones, vota ferebantur; ut longa pacati regni tranquillitas ultimam operi religioso manum imponi pateretur.

Vos, vos testes appello, Auditores: cum res Gallicæ latam ubique armorum sortem experirentur; cum intactus atque integer ab omni parte Ludovicus victrices copias in Sabaudiam, in Gothalaniam, in Germaniam, in Belgium penitus inferret; cum annis singulis aliqua fieret ad posteriores triumphos accessio: an inflatus prospero rerum exitu aut insolescens victoriâ Ludovicus Pacis voluntatem abiecit? an cessavit offerre illam vicis hostibus; admonere illos bello infelici ut abstererent; adhortari, ut amicum potius, quàm victorem experirentur?

Tamen, quis crederet? indociles usque, efferratos, intractabiles sentiebat, & quos repetitæ clades ad amorem Pacis revocare debuissent, eosdem in propagando bello pertinaciores faciebant.

Principem vidimus, Auditores, quem à nostris partibus alienum esse tantò, dolebamus gravius, quòd ad virtutes ejus egregias & partam rebus præclare gestis gloriam arctissima cum angusto Regum nostrorum sanguine necessitudo accederet. Is, seu non facilè cedunt exulcerati animi, seu efferantur viri fortes vulneribus suis, & ad eluendum dedecus incitantur; seu pulchrum est superiorem esse suis cladibus, & in adversâ sorte præ se ferre constantiam; is, inquam, Ludovici victorijs ac triumphis
irri-

irritatus potius, quàm repressus, amissis armorum fato pulcherrimis urbibus ac provincijs, averfam usque à consilijs Pacis voluntatem retinebat.

Tamen quoniam ad felicem Europæ totius concordiam ac tranquillitatem, unde pendeat Religionis securitas, ingens momentum afferebat, si reconciliatus nobis foret, quid faciendum Ludovico fuit, aut potius quid fecit, ut vel invitum ac reluctantem ad conditiones Pacis fortissimum Principem adduceret?

Prædicamus in Alexandro dignam triumphatore Asiæ excelsum animi & magnitudinem, quod invictam Pori constantiam admiratus, eum habere amicum quàm hostem malisset. At quanti est, Auditores, oblatâ vincendi opportunitate ultrò temperasse; obtulisse Pacem, quam imperare potuisses; exarmasse munificentiam cognati Principis fortitudinem; &, quem non aspernandum adversarium expertus eras, huic obsidem pacis fœderisque Nepotem augustissimum, spem Galliæ, heredem Imperij, in Generum toti orbi jure invendum tradidisse.

Fruere tamen, nihil moramur, Princeps fortunatissime, fruere flagrantissimo illo desiderio Pacis, quod Ludovico Magno Religionis amor & studium inspirant. Dulce nobis est, quod Tu tanto Pietatis commodo avulsus tandem ab iniquis partibus, nobiscum arctiori quàm antea vinculo conjunctus fueris; quod præceptam propagandi longius belli fiduciam dissidentibus populis sustuleris; quod facile exemplo tuo fœderatis Principibus ad incedenda Pacis consilia viam feceris: ac si modò non stabit nisi per Ludovicum, quominus, quotquot experitur hostes, paribus ad concordiam illecebris invitet, nulla mora est, quin eadem liberalitate ac

munificentiâ, tam utilem, tam gloriosam Religioni Pacem bene redemptam puter.

Nolite igitur mirari, Auditores, si tot ac tantas nactus belli prosperè gerendi occasiones Ludovicus suavissimâ vincendi cupiditate ultro temperârit; si ex eo gloriæ fastigio, quò perpetua quædam toto belli decursu prosperitas ipsum evexit, descendere non graveur ad eas condiciones Pacis, quas nec hostes ipsi, si vicisse contigisset, postulare sustinissent: si tot urbium, tot provinciarum dominus, quas jure belli & relatis toties victorijs suas fecerat, cedere partem minimè contemnendam accelerandæ Pacis gratiâ non dubitet. Pulchrum est quidem debellare hostes, victis imperitare gentibus, disjicere arces munitissimas, domito triumphatôque orbi leges imponere; habet ea laus illecebras, quæ Heroum animos facilè pertentent; quibus non demulceri tantò difficilius videatur, quantò quis illas sæpiùs uberiusque degustârit.

Tamen majus quiddam hodie atque illustrius ambit Ludovicus, nihil est tam præclaris, tam insignibus in titulis, quod amet aut sequatur, nisi quòd vincendo triumphandôque prostratæ veteribus plagis Hæresi spem resurgendi deinceps omnem expectationemque sustulit: hic suavissimus tot laurearum fructus, quòd mercatus hoc pretio tranquillitatem, ac pacem placido tandem in portu Religionem collocavit.

Quàm id unicè spectaveris, Ludovice, penitus intellectum est, cum Tu tamen liberalis ac munificus in donandis belli gravissimi fructibus; tam rigidus idem ac flecti nescius visus es, si quid in ipsâ Pace sancienda sit postulatum, quòd Religionis detrimento verteret.

Repetebant hostes Argentinam totius Alsatiae caput, at quo studio, quâ conspirantium animorum pertinaciâ! Unius civitatis æmulatione confla-

tus magnâ ex parte belli tumultus videbatur; nec componendum prius jactabant, quàm urbs illa priores ad dominos rediisset.

At quanto factum id esset Religionis detrimento, Auditores! Conjicite vosmet ipsi, & veterem civitatis illius conditionem cum hodiernâ comparete. Illa infelici suo fato nata quondam eos Principes, quos Lutheranae pravitatis error ab avito cultu seduxerat, easdem & ipsa partes sequebatur, nec spem ullam revocandæ, quam olim coluerat, Religionis, videbat affulgere. Adfuit felicibus adductus fatis Ludovicus; neque prius oblatas communibus votis urbis illius habenas excepit, quàm pulsâ de sacrario sanctitatis Hæresi, pristinae Religionem dignitati redderet.

Ex illo, quàm lætos, quàm uberes eâ in urbe fructus Religio est consecuta! quantus & quàm felix incubuit Ludovici labor, suus ut pietati cultus, templis majestas, sacris veneratio rediret! quàm multos invitavit opibus, beneficijs devinxit, provocavit exemplis, ut ad avitum Ecclesiæ gremium se reciperent! Numerate, si potestis, quot intra ipsa Argentinæ mœnia, quot ex pagis circumadjacentibus, ex municipijs, urbibus, colonijs hominum millia ejuratâ tandem Hæresi ad ovile Christi rediêrint.

Hæcine novalia tam culta Error impius habuisset? spes succidisset tam lætas in adyta sacrosancta recepta rursus Hæresis? hunc Tu, Ludovice, paternæ sollicitudinis laborumque fructum percepisses? hanc Religioni labem passus esses inuri? Imò, imò, ne metue, Religio sanctissima; non permittet Rex optimus eripi tibi bonum illud, quod ejus ope tanto pòst tempore recepisti: non alio gaudebit Argentina Principe, quam Ludovico, ac quantumcumque reclamant illi, qui hanc urbem sub hæreticæ pravitatis jugo mancipatam nuper tenebant

nebant, tu jus in eâ tuum, Ludovici præsidio tuta conservabis.

Gratulare igitur tibi, fortunata nimium civitas, non quòd conspicuum es celeberrimæ provinciæ caput, non quòd tot aggeribus vallata, tot munia præsidij, tot substructionibus ac repagulis defensa nihil ab hostium impetu memendum habes; noli tibi tantùm plaudere, quòd fortissimam Galliæ propugnaculum, Germaniæ clavis, nobilissimum victoriarum nostrarum monumentum potes nuncupari: hæc decora, quæ contulit tibi Ludovicus plurima, tametsi non aspernatur; non tamen eo potissimum places nomine; aliud est in te quod amet multò magis; præ te fers aliquid propter quod unam te, non urbibus modò fortissimis, sed amplissimis etiam provincijs, quas permisit hostium potestati, duxit anteponendam. Te pietatis ille cultus, quo flores; te Religio sancta, quam colis, apud eum commendant: agitur gloria, agitur securitas Religionis illius, quæ nec salva, nec incolumis apud te posset consistere, si tam illustrem patronum, defensorem, ac dominum perdidisses.

At dum tibi sibi que meritò plaudit felix Argentina, Princeps religiosissime; ecce Rinsfelsam audio complorantem, & tot conspicuas Palatinarum urbes communibus omnes querelis fidem tuam deprecantes. Quibus nos, inquit, Ludovice, deseris, vel quò recidimus tandem tuo præsidio destitutæ? Equidem tibi debemus omnes, quòd depulsâ veterum errorum caligine nobis amica lux veritatis illuxit: id consecutæ beneficio tuo sumus, ut pristinus aris cultus, debita sacris veneratio, pulsâ tot annos majorum nostrorum Religio feris tandem nepotibus redierit: tu dominantem mœnibus nostris Hæresim domuisti, conudisti, depressisti: per te libera ruptis catenis & suis emerfa

tene-

tenebris Pietas regnat ac triumphat. At quid fiet postmodum nobis, quis aderit, quis tuebitur, cum te vindice ac patrono carebimus? Invalescet Error, brevi resurget Hæresis, & pulsam de folio per summum nefas Religionem ad priores tenebras damnabit.

Quàm erant justæ ejusmodi querelæ, Auditores, tam lubenter à Ludovico Magno exceptæ sunt. Periclitabatur enim in multis Germaniæ totiusque Palatinatûs urbibus Religio vera, quam Rex Christianissimus jam dudum exulantem revexerat in hæc loca, cum eadem in ditionem suam nuper redeisset. Jam verò cedente jus in eas urbes suum Ludovico, nec habebant illæ fati in se roboris, ut Lutheranarum partium sanctoribus resisterent; nec spem ullam præsidij suis in Principibus positam videbant, quos Germaniæ consuetudo solenni ipsorum jurejurando confirmata impediabat; quominus veræ ac suæ Religionis in gratiam quidquam molirentur.

Quid faciet Ludovicus? an desertam, indefensam, omni ope destitutam, vel alienis etiam in locis Religionem patietur? quid sua illi pietas, quid sapientia distitabit? Jubet pro suâ auctoritate Princeps religiosissimus tam iniquos aboleri mores; legem injustam refigi, injuriosum abrogari sacramentum imperat; nec sui juris esse patitur urbes illas quas cedit, nisi suum ipsi Religioni jus atque auctoritas conservetur. Quid tum? obtemperatur pro debitâ invicto Regi reverentiâ; conditio accipitur; fremente nequicquam Hæresi solennis fides obligatur; triumphat Religio, lætantur populi, exultant urbes, & quod præstare ipsi per se, cupidi quantumvis & amantes Religionis non poterant Germaniæ Principes, id se Christianissimo Regi debere acceptum gloriantur.

Sic videris vinci, Ludovice, tamen ut vincas! sic hostem concilias liberalitate, ut eundem auctoritate coërceas! ita cedis, ut imperes! sic flecteris, ut legem imponas! aded nihil est quod amore Religionis non facias! aded regias animi tui dotes in unius pietatis obsequium mancipâsti!

O sancta Pietas! ô veneranda majorum nostrorum Religio! quantum invicto Principi, quantum tam illustri patrono ac defensori debes! sed Europa tota, Auditores, ecquid illi minus debet? hoc pars Orationis altera demonstrabit.

II. P A R S.

Est hoc plerumque, luctuosum dicam, an invidendum potius magnæ virtutis fatum, Auditores; ut quantò altius gloriæ fastigium fuerit affecuta, tantò graviores æmulos adversariosque patiatur. Nam seu virtus habet illecebras ex se se, propter quas expetenda videatur; seu merces ipsa virtutis, gloria multò magis allicit ac placet; rarum est extitisse quempiam utraque dote cumulatum, qui non propositus continuò obnoxiusque livoris atque invidiæ telis vixerit. Id verò cùm virtus Gallica, propter insitam quandam excellentiæ supra gentes cæteras prærogativam sensit jam dudum, tum certè extremis istis temporibus illustriùs quàm antea experta est.

Quare si quis fortè mirabitur, quòd tantâ animorum contentione de oppugnandâ Galliâ certatum sit; quòd junctis viribus gentem in unam universus penè orbis insurrexerit; quòd nullâ fluentium retrò rerum suarum injuriâ hostes deterriti, pertinacem usque belli infelicis animum retinuerint, miretur ille potius, quòd constanter felix ac fortunata, quòd ubique victrix, quòd triumphans domi forisque Gallia ex illis tot tamque periculosis fluctibus ac procellis emerferit.

Per-

Perstrinxit fulgor ille nimirum oculorum aciem; fuscitavit tanta potentiae vis vetera discordiarum femina; & quoniam ad erigendum tam nobile virtuti Gallicae trophaeum suis unusquisque de spolijs contulerat, tanto facilius adducti omnes, ut quod suum esse crederent, id repetere bello aggredierentur. Addebant fiduciam conjurantium populorum numerus, opes, animi ad rem strenue fortiterque gerendam parati: non videbatur gens una par esse posse collectis totius Europae viribus, dum Galliam ex omni parte quasi uno impetu invaderent. Atque ut accenderentur magis ac magis, quotquot in sociale foedus coierant, ipsa perficiendi operis facilitate; spargebatur sedulo, fore rem unius anni vel alterius: atque inter inducias temporis tam breves vetera Galliam inter Europamque reliquam dissidia, decretorij demum fatis esse dirimenda.

Neque vero rem aggressi sunt minus viriliter aut celeriter, quam erant solerter meditati. Vidimus primo statim aditu formidolosum terram, mari, in litore, in finibus bellum: aderant in procinctu numerosi exercitus, qui Galliae limites ab Hispania, Italia, Germania, Belgio simul obsiderent: praerant exercitibus nobilissimi tota Europae Principes, tanquam pro aris focisque pugnaturi; classis in utroque mari comparata exarsens ab omni parte minabatur; Gallia denique obsessae instar urbis erat undequaque concludenda. Exultabant hostes interim & nobilissimas hujus imperij provincias partiri inter se, quasi de relatam jam victoriam triumphabant.

Quis tam commodè sensit de rebus nostris, aut quis hunc fore tandem formidolosi belli eventum ausus esset polliceri; ut non tueri se modo finibus suis contra tot hostes posset Gallia, sed eos, ubicumque tandem essent, aggredieretur; ut non

viri-

vinceretur unquam, sed vinceret semper ac triumpharet? ut non modò nullam sineret invadi ab hoste partem soli Gallici, sed ipsa fines alienos ingressa, maximas urbes amplissimásque provincias expugnaret.

Hoc tamen est, Auditores, quod contra spem fiduciámque hostium, contra universi orbis expectationem, præter nostra ipsorum vota non viriliter minùs, quàm feliciter perfecimus.

Non ego vos supervacaneâ rerum à nobis decennio toto gestarum serie remorabor; at si quis vel inter hostes partam hoc bello gloriam virtuti Gallicæ invideret, aut parùm æquus rerum æstimator, aut detractor infidelis; hoc certè illustria tot victoriarum monumenta non tacebunt.

Hoc Camberium, Nicæa, Segusium, Villa-Franca, cum Salucio Mommelianum, Sabaudia ipsa tota cum nobilissimâ Pedemontij parte domita & expugnata memorabit: hoc loquentur Rhodæ, Palæmus, Orgelium, Gerunda, Ostalricum, Barcino in Gothalaniâ: hoc Montes Hannoniæ, Autha, Furnæ, Carolopolis in Belgio: hoc in Germaniâ Heidelbergæ, totque Palatinatûs urbes prædicabunt: hoc victus, fugatus, cæsus hostis ad Fleurusium, ad Britannicum Fretum, ad Stafardam, ad Leusam, ad Stenkerkam, ad Phorcennam, ad Lacobrigam, ad Gades, ad Nervindam, ad Tichim, ad Marsaliam: hoc conatus hostium elusi toties, aut repressi, relectæ fraudes, commeatus intercepti, capta & expilata castra, devestæ nostros in portus fæderatorum exuvia testabuntur.

Hostis verò Europæ viribus instructus, quid, non ejusmodi dicam, Auditores, non simile, non aliquatenus affine; sed quid fecit tandem quod ostentare possit seris nepotibus dignum robore, numero, virtute, expectatione suâ monumentum? An ita conferuit usquam nobiscum manus, victor ut
eva-

evaderet? an oppugnavit urbem aliquam Gallia,
quam expugnaret?

Quamquam audio quid reponant, video quâ
de re glorientur. Namurcum recepimus, inquit:
egregiam verò laudem, Auditores, & dignum tam
ingenti apparatu trophæum! Hæc ergo inchoati
belli fiducia, hic ejusdem felix fortunatusque pro-
gressus, hic finis tot laborum fuit; hoc conjuratus
unam in Galliam universus penè orbis toto decen-
nio tandem perfecit; ut expugnatum priùs à nobis,
vix bene refectum ac munitum, tot suorum clade
ac ruinâ Namurcum reciperent!

At enim quæ tanta, tam incredibilis, tam nova
cupido Pacis, Auditores; quæ tam aliena parandæ
gloriæ satietas; dum res nostræ tam bellè fluere-
nt; dum nihil agentibus ac penè otiosis Attha, totiùs-
que Gothalanæ caput Barcino subjiciuntur? dum
refectis viribus & quasi recentes Gallorum animi ad
novos bellorum labores aspirant? Hæc enim verò
quis sibi persuadeat, Regum maxime, nisi qui ex-
celsitatem magnitudinèque animi tui intellexerit;
qui noverit uno te Pacis studio pugnare & vincere;
qui eâ te comparatum indole perspexerit, ut non
tam privatæ gloriæ desiderio, quàm tuorum totiùs-
que adèd Europæ commodis pro tenero quodam
parentis communis affectu movearis?

Nam quid aliud, amabo vos, Auditores, Lu-
dovicum adduxit, ut tam impensè studeret Paci?
quid impulisset ad procurandum tam citò illius belli
finem, quod novo semper gloriæ ipsius incremento
perageretur? An exhaustum, belli nervus, Æra-
rium, accisæ regni opes, consumptæ privatorum
pecuniæ prorogandi ulterius belli spem fiduciâ-
que præripiebant?

Equidem quis neget, amplissimas quasque for-
tunas diuturnitate belli gravioris imminui sensim
ac decrescere? Et hanc habemus opimo Principi
gra-

gratiam singularem, quòd dum nova belli subsidia cogeretur accipere, professus sit non semel, nihil malle se rerum omnium, quàm ut isto populos onere quamprimùm liberaret.

Tamen itàne verò exhaustum Ærarium erat, quod tam florentes alebat copias, tam numerosos exercitus sustentabat, tam multis hominum millibus stipendia sufficiebat? Erat aliquid in Castris militi quod deesset, in præsijs, quod requiretur, in armamentarijs, quod plenam rerum omnium copiam non ostentaret? An accisæ penitus populorum opes; per quos si steteret, bellum acrius hoc anno, quàm aliàs gereretur? Atque vel ex eo capite, vos olim hostes Gallici nominis, nunc tandem amici, intelligite, quantum Ludovico debeatis, qui populis suis vim fecisse quodammodo visus est, dum vobis honorificam, eandem & quæstuosissimam pacem concederet.

At si quod rebus Gallicis belli diuturnitas detrimentum attulit, nihil illi, credo, ferendum ejusmodi habuerunt, apud quos fuit perpetua quædam annonæ caritas? qui coactis frustra ad corrogandas pecunias sociorum comitijs, nunquam necessarios in offerentem se annum sumptus invenerunt? à quibus multi quotidie milites ad nos deficerent, quoniam rarò ac parcè stipendia persolvebantur? qui factà jam Pace missas facere sociales copias vix possunt, quia pactam, unde reddant, mercedem non habent?

Verùm attritas fortè, fatigatas, defectas viribus, & longa domitas malorum serie copias habebamus, quas ducere deinceps ad pugnam periculosum fuisset. Hoc querantur illi sanè, apud quos assiduis ac cruentis cladibus decrescere non mediocriter militum numerus, animus infringi, debilitari vires debuerant. Id exoptulent, per me licet, quibus nondum bene obligata, quæ fecimus ad Fleurusium

sium

sum, ad Leusam, ad Stafardam, ad Stenkerkam, ad Nervindam, ad Marsaliam vulnera quotidie recrudescabant. Timeant illi novi discriminis aleam, qui longâ vincendi desuetudine, non tam ad pugnam, quàm ad certum funus properabant.

Nos verò quid ejusmodi à prorogando bello deterrebat? agite, ubi gentium aut florentiores copiæ, aut numerosi magis exercitus, aut animi ad rem bene gerendam alacriores? quanta singulis in militibus fortitudo, in Ducibus sagacitas, in Imperatoribus experientia, in Principibus regij sanguinis magnanimitas? quàm vividum, quàm potens, quàm efficax ad decertandum viriliter momentum affert, priorum memoria triumphorum, intactæ atque illibatæ virtutis conscientia, & ipsâ vincendi assuetudine indubitata quædam victoriæ expectatio?

Quanquam cur aliunde perquirimus testimonia, cùm Principis optimi consignatam literis publicis voluntatem habeamus? Est aliquis vestrûm, Auditores, qui literas illas non legerit? Abrogabimus, opinor, Ludovico fidem, cùm in ore atque in oculis omnium profitetur: *eò lubentiùs abire se ab jure suo, quò faciliorem ad illud persequendum victoriæ posteriores viam aperuerant: hanc se sibi imposuisse legem, ut parva tot triumphorum monumenta Europa tranquillitati devoçeret: videri hunc sibi fructum amplissimum moderationis illius suæ, quæ acceptis armorum injuriâ tot arumnis mederetur: se in lucro ponere maximo, quidquid hujusce rei gratiâ fecisset; imò & triumphis quibuscumque præponere voluptatem illam, quam sibi populorum lætatio ac felicitas peperissent.**

Et verò tantò alacriùs Pacis conciliandæ provinciam sibi depoposcit Ludovicus, quòd eo defungi munere præter ipsum nemo potuisset. Agite enim,

* Ex Epistola Regis ad Episcopos Gallie pro confecta pace.

enim, quis difficili bello cum laude desisteret, nisi Ludovicus? Nam, si qua fortes inter viros contentio incidit, scitis, Auditores, quam sit durum cedere, id si facere sine dedecore non possis. Abjicere arma fractis & exhaustis viribus: post jacturas graves, clades repetitas, amissas urbes, provincias expugnatas inclinare animum ad Pacem: implorare fortioris fidem, cum impar resistendo videare: id quidem necessitatis interdum; at, ut plurimum ignaviae, imbecillitatis ferè semper indicium est.

Nunc ergo, si factionis inimicae Principes, qui priores Galliam oppugnaverant; qui de ipsius exitio conjuraverant, qui certam vincendi fiduciam provincias ejus nobilissimas inter se jam diviserant; si nunc, inquam, delusa expectatione, repressa audacia, accisis propè ac deperditis rebus praese ferre taedium calamitosi belli incepissent; si cupidi quantumvis bonae ac necessariae Pacis, suum illud desiderium non dissimulassent: si Ludovici clementiam, ut olim, quacumque conditione sollicitassent; an effugissent illi dedecoris & ignaviae notam? an saltem imbecillitatis opinionem evitassent? Decebat viros fortes, quales illi sunt, nullis frangi calamitatibus; decebat in adversis rebus affectare constantiam; & dum verè atque ex animo funestam armorum sortem execrarentur, pertinacem nihilominus bellandi amorem simulare.

At Ludovicus, Auditores, cum in medio victoriarum cursu ita studere Paci visus est, ut miraretur orbis, stupeant hostes, Galli tantum non affligerentur, quantus ad partem domi forisque gloriam, moderationis, clementiae, magnanimitatis cumulus accessit!

Aliud erat, Auditores, quamobrem Ludovico soli conveniret esse conciliatorem Pacis. Unus erat Rex invictissimus, qui infelicis belli jacturas resarcire

cire quoquomodo, & steriles hostium labores beneficentiâ suâ consolari sine suo damno posset. Dicamus enimverò, quod res, neque id hostes olim nostri diffitebuntur. Cùm grave bellum nobis indixere Fœderati Principes, sperabant plurima, nihil tulerunt; involabant in aliena, sua perdidierunt; gloriam deprimendæ Galliæ aucupabantur, depressi ipsimet ac perdomiti, pudoris plurimum dedecorisque, nihil rei fructusque reportârunt. Miserum quid profectò & acerbum fuisset, Auditores, dissociari omnes à se invicem, & spe frustratos suâ, & gravem rerum suarum jacturam expertos.

Quæ pars enim in totâ Fœderatorum ditione tam intacta, tam sana, quæ proprias clades atque ærumnas non deploraret? quæ amissa diuturni belli fato multa non repeteret? Dolebat Hollandia effusas temerè in belli sumptus immensas opes, interclusâ maria, omnem faciendi commercij ademptam facultatem. Lugebat Anglia occupatam toties nostrorum excursionibus & expilatam classem, erepta navigia, merces abductas. Urbes situ, robore, propugnaculis præstantissimas, direptas, incensas, æquatas solo Germania: partem Belgij primariam, & Gothalaniam totam Hispania: Sabaudia provincias penè omnes captas, domitas atque expugnatas querebatur. In illâ communi omnium ac publicâ calamitate, quam sibi mutud præstitissent opem, vel quæ damnorum solatia alijs ab alijs expectâssent?

Adfuit illorum spolijs onustus & gravis Ludovicus, & quod cuique abstulerat redonans liberaliter, illis utilitatem præclaræ Pacis, sibi gloriam laudemque reservavit.

Celebretur enimverò magnanimitas Alexandri illius Macedonis, qui dum partem orbis nobilissimam victorijs potius quàm passibus peragraret,

ret, expugnabat urbes, subiciebat provincias, non animo retinendi, quæ ceperat, sed, ut eadem restituendo, & victis clementiam, & spoliatis liberalitatem ostentaret. Verùm eâ re superior Alexandro Ludovicus; quòd pugnaret Alexander, ut vinceret; vinceret autem, ut inauditâ fortitudinis specie domitis gentibus insultaret: Ludovicus verò neque animum ad pugnandum, nisi coactus necessitate adjecerit; neque vincere voluerit, nisi ut beatam populis redonaret Pacem, & paternæ in omnes voluntatis significatione omnium sibi animos devinciret.

Nunc igitur discat Europa, quantum muniticæ invicti Regis benignitati debeat. Intelligite vos, quotquot malus error, aut rivalis æmulatio sejunxit ab optimo Principe, intelligite, inquam, quod hætenus frustra dissimulare voluistis; & Ludovicum hodie, quantus quantus est, pernoscite.

Non exhibebo vobis illum invictis circumseptum agminibus, quibus suum ipse robur atque animos inspirat: non disturbantem acies, evertentem mœnia, fulminantem ubique ac triumphantem ostentabo. Vidistis talem ac sensistis, quoties decertandum illi vobiscum fuit; &, quid vel sibi relictus uni contra fœderatas Europæ vires posset, recentissimo periculo didicistis.

Non proponam illum incredibili amplissimæ mentis providentiâ & sagacitate consilia vestra antevertentem, retenantem dolos, infidias eludentem: talem experti estis jamdudum, & eâ parte æquiores multò, quàm cæteris in rebus, singularem ipsius sapientiæ vim suspexistis, & collaudastis.

At ecce objiciam illum vestris oculis, qualem ipse videri Ludovicus se amat, qualem se offert nobis

nobis omnibus, qualem & vos, remotâ tandem, quam livor obduxerat, nebulâ, non pigeat agnoscere: pium dico, clementem, consulentem vestris rationibus, & vestros omnium animos suavius etiam Pace, quàm bello devincientem. Hæc una est victoria, quam deinceps ambiat; hic triumphus, quem agere de vobis velit, ut studiosos sui & amicos efficiat. Ah! ne vos pigeat jam vinci, quos beneficijs suis Ludovicus aggreditur: hoc date unum, quod unum accepisse gaudeat: hunc per vos gloriæ suæ videat cumulum accessisse; ut quos potentiæ, fortitudinis, sapientiæ cæterarumque virtutum admiratores habuit, eosdem moderationis suæ sentiat amatores.

Nos interim, si quid Rex optimus liberaliùs indulfit Pacis gratiâ, quàm quod aut sperare vos licuisset, aut ipsi vobis pateremur impertiri; tamen feremus æquiùs, si nostram in optimum Principem omnium venerationem, benevolentiam ac pietatem imitari volueritis; nolite nobis hunc invidere fructum Pacis dulcissimum, qui ad reliquos suavius degustandos ingens momentum allaturus est.

Quinam verò sint illi reliqui Pacis fructus, factis me tacente intelligitis. Leve hoc censebitis nimirum & nullo ponendum loco, quòd pulsâ tot abhinc annis quies, exactâ tranquillitas vetus in hospitium rediêre? quòd conticuit tandem triste clausum, & ingratus armorum tumultus quievit: quòd ruri securus agricola partis labore manuum frugibus sine metu vel invidiâ vescetur: quòd civis in urbe domesticos intra penates cum amicis & numerosâ prole recreabit genium, nihil deinceps sollicitus, quid ad Rhenum, aut Mosam, aut Danubium, aut Padum agatur: quòd nemo vel parenti filius, vel filio parens, vel conjux conjugii, vel affini pro-

pinquus, vel amicus socio fatalem bellorum aleam metuet, aut eosdem miserabiliter extinctos lugebit: quòd factâ jam viâ commercio liberâ, peregrinæ nostras in urbes gazæ remeabunt, & lætam ubique copiarum abundantiam effundent.

Jam quantus honos bonis Artibus, quanta Literis gratia, qui non postremus tranquillæ Pacis est fructus, accedet. Fateamur quod res est, Auditores, jacent despectæ artes ut plurimum belli tempore, & obstrepente terribili tubarum sono, vix ac ne vix quidem suavissimi Musarum concentus exaudiuntur.

Nunc quàm audientur lubenter, quales excitabunt clamores ac plausus, quicumque isthæc blandæ Pacis otia, Ludovici curas ac studia dignè celebraverint? Seu regias in eo dotes, eximiam in promovendo cultu divini Numinis pietatem, singularem in componendo regno sapientiam, munificam in sublevandis fortunandisque populis benignitatem extollent: seu privatas lubentiùs virtutes, comitatem in Aulicos, in domesticos humanitatem, paternum in suos animum prædicabunt. Ingeniosi viri, quotquot estis, ecce vobis ingens ad gloriam, ingens ad promerendam regalem munificentiam aditus aperitur.

At quàm acceptus, quàm jucundus omnibus accidit recentissimus ille Pacis fructus, felix Hymæneus Augustæ Adelaïdis cum Serenissimo Burgundionum Duce! Personant adhuc aures lætis exultantium populorum plausibus, quibus regales nuptias sunt profecuti. O felix enimverò dies, qui celebritati pompæ genialis illuxit, & par Amantium nobile felicibus æternùm nexibus devinxit.

Quid non ex illâ conjunctione sperare liceat, Auditores, ubi Majestas cum gratiâ, cum pudore gravitas, sapientia cum perspicacitate, dexteritas cum elegantia, cum Pietate Religio, denique Sabaudie domûs

domûs vetustissima pariter & illustrissima nobilitas cum regio Borboniorum sanguine repetitâ toties cognatione sociatur ?

Vivite ambo felices tam faustis ominibus, & in ipso Pacis gremio conjuncti. Parentum augustorum expectationem, spes Galliæ, populorum vota cumulate : suis se olim in nepotibus, Amedeus Illustrissimus Sabaudia Dux, Serenissimus Delphinus agnoscant. Gaudeat Philippus unicus Regis Frater ex suo sanguine procreandos, qui Gallici regni habenas aliquando moderentur.

Tu verò, Ludovice, fruire diu mercede illâ, quam pollicitus Deus pijs Numinis sui cultoribus, tibi multis jam abhinc annis impertit. *Filij tui sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Psal. 127. Hoc erat nimirum, quod sentiebat quisque de te, cum augustos inter Nepotes regalibus epulis nuper accumberes : *Ecce, dicebant intra se taciti, numerosam sobolem & Pacem optatam tibi gratulantes, Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum, ut videas filios filiorum tuorum, & pacem super Israël.*

Nos verò defuncti tandem gravibus formidolosi belli periculis, quibus heu ! quàm sæpè timuimus, ne quid procellæ vis inimica sacrum in caput peccaret ! ut oblatâ jam Pace lætis omnes animis, ut frequenter illas Vatis regij voces repetemus ! *ut videas filios filiorum tuorum, & Pacem super Israël.*

Oratio habita Anno M. D. C. XCVIII.



U 3

GLO



GLORIA SÆCULI

GALLIS

VINDICATA.

ORATIO III.

Ocupavit hæc semper omnes ætatum omnium populos innata laudis æmulatio, ut rebus præclare gestis Sæculi quisque sui gloriam sibi amicè vindicaret. Cardinalis Eminentissime, Illustrissimi Ecclesiæ Principes, Præsides amplissimi, Clarissimi Senatores, Viri omnium Ordinum Ornatissimi. Quin & ipse Sæculorum æternus arbiter ac moderator Deus, qui uti hominum, ita & gentium dispensat fata, sic partiri visus est inter singulos singularem temporum gloriam, quasi pro cuiusque laboribus suum meritis favorem vellet respondere.

Quod si certatum fuit unquam acriter apud ingenuos & natos laudi populos, cui potissimum ex omnibus ætatis suæ gloria obtingeret; tum certè toto labentis hujus Sæculi decursu incredibilis quædam laudis cupido æmulos dudum animos novis potentioribusque stimulis incessit. Cùm enim extiterit, quod peregrinus, Sæculum istud mirâ quadam rerum ingenium varietate distinctum, prodigiorum serie continuâ spectabile, cætera inter omnia veluti unicum, prioribus invidendum Sæculis, vix imitandum posterioribus; nihil aded est, si primas in eo tulisse partes, & reliquis toto orbe gentibus præ-

præluxisse, dulce ac decorum quidpiam, votisque omnibus dignum videatur.

Ad hunc porrò laudis apicem quantumvis ar-
rigrant se se, quotquot mundum hunc aspectabilem
gentes incolunt, nec aspernamdam magnorum fa-
cinorum copiam ambitiosius ostentent: est tamen
illustrius aliquid, quod Gallia nostra sibi gratuletur:
est unde pariam huic Sæculo gloriam proprio quo-
dam jure sibi reposcat.

Abfit autem dicto invidia, Auditores, neque
id à me dictum quis existimet, quasi debitam illu-
stribus cæterarum gentium factis, laudem ereptam
velim. Scio nullam esse ex singulis, quæ præteri-
torum Sæculorum palmam præripere, quin & ad
præsentis gloriam aspirare non potuisset, nisi obvia
fortè Gallia occurrisset.

Etsi enim laudem inter & gloriam, uti lucem
inter ac radium, necessitudinis quædam communio
intercedit; si tamen ad peritos rerum æstimatores
examen istud revocetur; non deerunt, qui vivi-
dus nescio quid in gloriâ quàm in laude deprehen-
dant. Est enim laudabilia egisse parùm, nisi hæc
ipsa gloriosè præstiteris; non habet gloria unde sibi
satisfaciat, nisi vel in laudatissimis quisque rebus,
aut ex fine, aut ex modo singulare aliquid sibi præ-
scripserit.

Atque hinc discite, Auditores, quo tandem
jure totam Sæculi hujus gloriam sibi vindicet Gal-
lia, quæ Sæculis anterioribus laudatissima, isto de-
mum gloriosa nuncupari sine invidiâ possit.

Hanc verò gloriam nolite expectare, Audito-
res, ut vel à politioribus Literis, vel à præclaris
Artibus repetendam velim. Vix est in controver-
siâ positum, quousque & Literarum decus & Ar-
tium honos Gallis auctoribus processerit: ipsa me
tacentè prædicaret Europa, si quid in hac parte
patriæ laudibus derogarem. Fecit enim verò æmu-

latio studiūque exterarum gentium in ijs imitandis sedulo, quæcumque proficiscuntur à nobis, ut constare debeat apud omnes; quanti in eâ re Gallos æstiment, quos ut exemplar sibi proponant, quos & aliquo assequi intervallo glorientur. Habet Artes præter ac Literas longè aliud, ex quo se commendet Gallia; Religionis splendorem dico, & Armorum decus: quod utrumque veluti suum multò etiam libentiùs agnoscit.

Neque hanc sibi laudem peperisse parvo confitit vel pugnacissimæ Nationi: sive communes sibi cum vero Numine hostes, sive proprios expugnaret, Religionis æquè ac libertatis vindex. Profligavit novum in morem nova Errorum monstra, quæ sinceram fidem aut depravarent, aut deturparent. Fregit non semel conjuratos in Galliam Europæ populos, qui addictam ipsi ab omni ævo fortitudinis palmam eripere tentarent. Quibus autem Artibus, dum Dei aut Patriæ honori allaborat, gloriam sibi quasi vestigalem fecerit, intelligite; si fas est Oratori intra angustos bipartitæ Orationis fines integrum Sæculum coërcere.

I. PARS.

Etsi Christianis gentibus commune videtur esse Religionis studium; tria sunt tamen quæ Christianissimam Francorum Gentem vel in hoc ipso Religionis ardore secernant à cæteris: sincerus quidam candor fucique expers, & omni dolo impervius; invictum animi robur, idque dubijs maxime temporibus cedere nescium; accommoda ingenijs, nec sui unquam dissimilis prudentia. Quæ tria, quàm verè Gallis arrogem, vos ipsos Iudices appello, nullius nisi veræ laudis approbatores.

Fuit

Fuit hæc præteritorum temporum calamitas, ut cum Europam totam infestaret Hæresis, & tristissima ubique furoris sui vestigia relinqueret, Galliam ipsam, quanquam gentes inter cæteras aviti cultûs longè retinentissimam, & nullius, Hieronymo teste, monstri patientem, nec intactam penitus, aut etiam illasam pateretur. Verùm siquos pestiferi contagij sensit afflatus Gallica Gens, quàm sincero deinceps studio & iniustam absterfit labem, & Religionis gloriam non apud se modò, sed in populos etiam exteros propagavit!

Repetamus enim verò paulò altiùs avitæ Religionis in Galliâ conditionem, cum extinctâ Valisiorum gente, imperij Gallici jus ad Borboniam pertineret. Spectabat rerum summa Henricum Navarra Regem, quem innatæ corporis animique dotes, dignum aliunde folio effecissent. Unum obstabat tantis virtutibus, Religionis avitæ discrimen. Non potuit sibi temperare, quin erumperet palàm sincerus Religionis ardor, quo flagrabant Galli, & justos quodammodo limites prætergrederetur. Nempe augebat metus recens ac luctuosum Britannia fatum, quæ Principis exemplo deteriorem in partem mutata ab avito piòque cultu desciverat.

Hinc illi, quem fatebantur omnes suum, & ardebant totis animis imperare sibi Principem, nec admiserunt ultrò, nec salutare Regem potuere; donec amicam sibi vicissim manum præstarent, & debita Principi, & debita Deo fides.

Neque verò asperavit Regem optimum benevola vis, quam non persuaserat ab alienatio voluntatum, sed sincerus Religionis amor pariter ac Principis inspirabat: non doluit non adulatum sibi fuisse in eâ re, quæ nec fraudem nec simulationem patitur. Imò nihil tam amicam Religioni veræ fecit ipsius animum, quàm expers ille fuci pigmentique

candor, qui veritatis partus est. Non putavit Rex perspicacissimus in tam propensis erga se animis obitare sibi quidquam posse, præter unicum veri amorem: voluit experiri per semetipse, quid illa tandem saperet Religio, quæ cultores tam sinceros exhiberet. Ac si, abjuratis semel erroribus, tam fidelis deinceps propositique tam tenax Henricus fuit; si palàm & apertè coluit, quidquid Religio præcipit atque imperat; si suum Ecclesiæ Romanæ tam solenni pompâ devovit obsequium; si se tam rigidum ejusdem patronum ac custodem professus est: si nec amicos agnovit, nisi qui aut perstitissent in avitâ fide, aut ad meliorem frugem conversi Hæresim ex animo detestarentur: nolite dubitare, Auditores, quin æmulandam censeret Princeps religiosissimus in colendâ verâ fide sinceritatem, quam ipse dudum in suis suspexisset.

Neque verò succedentibus deinde temporibus alius Gallorum in Religionem animus extitit; neque visum quidquam est tam feliciter promovisse rem Religionis, quàm isthæc in eâdem vel colendâ vel tuendâ sinceritas. Nam si compescendâ nonnunquam fuit armatâ manu Hæresis temeritas, cum justos prætergressa fines nimium insolesceret; si committendæ pugnæ cum ijs, quos sollicitarâ ad rebellionem: si expugnanda Rupellæ propugnacula, in quibus tanquam in portu secunda tempestatis ac procellæ sibi videbatur: hic erat unus victoriæ fructus, suus ut aris honos, templis majestas, sacris veneratio restitueretur. Hæc laborum & effusi sanguinis merces amplissima, cum pulsa suis de sedibus multos per annos Religio revocaretur in pristinum; hic apparatus triumphi longè optatissimus censebatur, quando sollemnibus adesse mysterijs ibi licuisset, ubi profanus jam diu cultus magno Religionis probro viguerat. Quin & multò majoris erat pretij, restitutum Christo in-

tra

tra patrios fines oppidulum, quàm ereptæ vicinis
hostibus regiones integræ.

Tum vidiffes victorem exercitum unâ cum
laureato Principe affusum genibus ante aras: &
dum ministri Numinis supremi Sacris operarentur,
commiffa ibidem piacula cultu supplici expiantem.
Interim erumpere mixta fufpirijs gaudia, & con-
fufæ gemitibus lætantium populorum voces. Hi
nondum oblitî pudendæ fervitutis, quam sub Hære-
fis iugo fervierant, lamentari sortem pristinam; illi
restitutam cum avitâ Religione gratari fibi liberta-
tem. Alij incufare liberius veterum malorum ar-
fices, alij liberatores fuos ac vindices ostentare.
Multi prædicare vixiffe fe fatîs, qui restitutam in
antiquum decus Religionem vidiffent, plures nunc
magis vivendum effe profiteri, quibus citra me-
tum & offentionem patrijs vivere legibus permit-
teretur.

Dignum enim verò non hominibus modò, fed
Cælitibus ipsis fpectaculum; quo tam perculfos le-
gimus, qui Calvinianas partes his temporibus per-
tinaciùs fequebantur; ut integræ nonnunquam ci-
vitates abjuratis erroribus fe fe ad avitam fidem
reciperent. Tantum Religioni veræ pondus ifthæc
pietatis fignificatio tam fincera conciliabat!

Verùm non uni Galliæ profuit fincerum illud
ftudium Religionis. Testem te appello, Germania,
quæ Gustavi magni felicibus armis multâ ex parte
fubjecta, Hærenici Principis adhæfura videbaris er-
roribus, nifi Ludovicus Iuftus Galliæ Rex initum
cum Gustavo fœdus eâ lege fanciviffet, ne quid de-
trimenti Catholica Religio pateretur. Cujus pacti
custos idem ac vindex tam rigidus exiit, ut cum
in armorum tumultu, uti pronum eff, & victoriæ
ferocitate læfam fe Moguntia, & in quibusdam
alijs civitatibus Religio expofulâffet, refarcire
damnum etiam cum fœnore, & rem Catholicam
tueri

tueri alienarum fautor partium Gustavus cogere-
retur.

Sed quid ego hæc disjuncta tot annorum spa-
tiji repero tempora ; ubi tam recens Gallicæ in
eandem Germaniam pietatis beneficium viget ?
Agite ; cum juratus hostis Christiani nominis Otto-
manus Germaniam ingressus esset ante annos pau-
cos, cum elatus copiarum multitudine & rerum ex
voto fluentium gloriâ, post dejecta Imperij repa-
gula, Imperium ipsum cogitaret ; cum Viennæ ad
mœnia castra metatus urbem repentino pavore, to-
tum, quàm latè patet, Germanicum Imperium ser-
vitutis metu perculisset ; quantum in ijs angustijs
adijsse discrimen videbatur Christiana res, nisi Lu-
dovicus Magnus pro sincero in eam studio victri-
ces in alijs Germaniæ finibus copias coercuisset, &
privatas inimicitias ultrò volénsque Religionis gra-
tiâ deposuisset.

Neque verò fuit hæc unius Ludovici gloria,
ut Religionis periculo moveretur : pertinuit ad Gal-
los omnes eadem sollicitudo, apud quos neque ve-
terum discordiarum ratio, neque apertus facilis
victoriæ campus pondus ullum habuère, donec se-
cura tempestatis ac procellæ Religio in portu con-
quiesceret.

Meminitis enimverò & potestis memorare,
Auditores, ut nullo vel pacis, vel induciarum in-
terposito fœdere, ex alienis socios, amicos ex ho-
stibus una Religionis causa fecerit ; ut exortâ dein-
ceps inter utramque gentem rerum veluti commu-
nitione & novo piæ necessitudinis vinculo, pavere
Galli cum Germanis, dolere cum iisdem, & vota
facere didicerint : ut liberatâ tandem non tam hu-
manis viribus, quàm propè divinitus Viennâ, non
minor ad nos, quàm ad ipsos, qui obsidebantur,
alacritas, par gaudium, eadem lætitiæ seges visa
fit accessisse. Ad eò pietatis studio cedunt apud
Gallos

Gallos omnia : neque vel simultati vel desiderio gloriae locus est, ubi periclitari Religionis causa videri possit. Atque utinam, Auditores, idem in simili causâ studium licuisset Gallis experiri; & quod impensum ultrò à nobis fuit, id saltem memoris animi gratiâ repensum lætaremur !

Quid jam ad commendationem Gallici nominis propagatam toto hoc Sæculo loquar in exterarum latè barbarasque gentes Religionem ? Vix innotescere cœperat Canadensis regio, terra infructuosa ex se se & inops rerum omnium; cujus incolæ vix speciem aliquam formamve humanitatis retinerent: illuc emicant, erumpunt & volant Galli, hoc uno laborum præmio, ut in disseminandâ Christi fide, & fortiter pati multa, & constanter mori contingat. Quòd si nostræ Societatis hominibus singulari Dei omnipotentis beneficio concessum est, ut aridum hoc solum Apostolicis sudoribus & fuso sanguine primi omnium irrigarent, id habuimus deinde solatij, ut in laboris simul & gloriae partem venisse plurimos nobis gratularemur, indubitatos Gallicæ sinceritatis testes.

Quid reliquas orbis partes adjiciam ? Quid Turciam & vastas Assyriæ solitudines ? Quid recessus Indiæ penitissimos ? quid consecratam Christi ipsius vestigijs, laboribus, ac miraculis Palæstinam ? Quid Siamensem regionem & immensum Sinarum Imperium, ubi tanto fidei Christianæ incremento etiamnum hodie Gallorum pietas adlaborat ? Aded dulcissimæ patriæ, & rerum omnium apud ipsos loco est sincerus amor Religionis !

At quàm invictus idem & cedere nescius, quoties aut coërcere rebellantis Hæresis temeritatem, aut perpeti quidpiam Religionis gratiâ oportuit ?

Nàmque hoc inflammati studio quis memoret, quot olim & quanta virtutis heroicæ miracula Galli præ-

præ-

præstiterint? ut sæpè cum exiguâ militum manu florentissimas copias fuderint; ut inaccessas urbes & rebus omnibus ad longam defensionem instructas paucorum dierum spatio expugnârint; ut ipsi solâ nonnunquam fortitudine circumsepti, & illius tantùm freti præsidio, cuius gratiâ militabant, validissimos exercitus longiore morâ infregerint; ut, quoties ageretur Religionis causa, mortalium alioqui fortissimi seipsis superiores viderentur?

Mitto expugnatas tantis laboribus in Occitaniâ, aut Aquitaniâ, tam multas hæreticæ perduellionis arces. Sola mihi instar omnium testis Rupella, cuius pertinacia tot externis freta auxilijs, tot assultibus invicta hunc unum habuisse fructum visa est, ut constantiam Gallorum magnanimitati parem demonstraret. Felices fortunatique Calvinianæ pravitatis obstinati sectatores, quod neque vi, neque ferro parentes nostri censuerint pervincendam Hæresis contumaciam! Suo jampridem extinctum in sanguine fatale monstrum occubuisset, nec tantis annis succedentibus strages edidisset.

Verùm quod facere studiosa pacis usque & inimica sanguinis Religio sancta abhorruit, id aggressâ sæpè Hæresis est. Nam ut omittam luctuosa illa tempora, cum numero, viribus, auctoritate freta ferocius insolesceret; cum insultans Religionem veræ per medias regni civitates grassaretur, Sacerdotum exuvijs, populorum sanguine, provinciarum cladibus & exitio satiata: quid non molita est recentissimis istis temporibus vel senescens ac moriens? Quantas bellorum faces in Gallia perniciem excitavit? Tamen quo demum exitu, Auditores, nisi ut dignos Ludovici Magni imperio Gallos exhiberet.

Quod enim genus belli vel acrius, vel periculosius, vel diuturnius majori ipsorum alacritate, patientiâ, robore aut exceptum fuit, aut sustentatum?

Nam

Nam cum, uti re ipsa erat, ita constaret apud omnes, non tam rerum Gallicarum æmulatione, quam Religionis invidiâ bellum hoc fuisse suscitatum, & ab ejusdem extremâ sorte decretorium profligatæ jam Hæresis faum dependere; fecit apud Gallos inexpletum, quo flagrabant omnes, Religionis studium, ut neque fœderatos unam in gentem tot populos vererentur; neque fortunarum omnium capitisque detrectarent periculum; neque exhaustis diuturniore bello opibus, animis, viribus pax ipsa optanda videretur, nisi hoc pretio securâ Religionis quies ac tranquillitas redimi debuisset.

Nihil ego jam moror, quàm acres ijdem ac fortes in profligandis novis erroribus extiterint; fileo refixa in ortu ipso Fanaticorum veterum commenta in corruptelam morum recens interpolata. At præterire non possum, Auditores, cum ante annos penè quinquaginta Calviniana Hæresis diffimulata tantisper, atque ut populis illuderet impunitiùs, specioso sanctissimi Doctoris nomine palliata prodiiisset; præterire, inquam, non possum, quanta doctrinæ fanioris æmulatione adversum hoc novi monstri genus Galli insurrexerint: quot parata in ipsius exitium tela, quasi ex composito districta sint: quàm acriter, quàm conitanter Ecclesiæ Gallicanæ Præsules promptam ejusdem proscriptionem apud summos Pontifices maturarint.

Ut eodem incensus studio cætus ille Doctorum Parisiensium (quos ad Religionis veræ tutelam ac defensionem divina Providentia tot abhinc annis toti Gallia comparavit) ut eodem, inquam, incensus studio recidenda immisericorditer suo de corpore membra putaverit, quotquot pestifer venenati monstri afflatus incestasset: ut ipse pro suâ jam tum in Religionem caritate Ludovicus Magnus regiam

giam

giam interposuerit auctoritatem, nequa pars conflati in arce Vaticanâ fulminis nocentium capita præteriret. Sic sincerus usque ac fortis Gallorum amor in Religionem fuit; at idem quàm singulari prudentia temperatus!

Habet hoc vel ipse Religionis amor, Auditores ut quantò sincerus magis ac fortis est, tantò periculiosior esse soleat, si moderatrice sapientiâ destituatur. Quòd si fuit in Galliâ tempus ullum, cum maturiore consilio regi debuit promovendæ Religionis studium, tum profectò fuit, cum Hæresis suo freta robore, contra vim atque impetum satis comparata sibi videbatur, & pactorum jure confisa nihil à moderantis auctoritate metuebat.

Durum quidem erat veræ pietatis amantibus, quòd Hæresis arces haberet suas & propugnacula; quòd impios ritus sanctissimis mysteriis opponeret; quòd haberetur in pretio, & amplissimis honoribus defungeretur; quòd facinorosos per spem impunitatis partes in suas illiceret; quòd rerum omnium affluens copiâ perfringeret multorum oculos, & infidiosâ liberalitate aliorum faveret cupiditati, aliorum inopiam sublevaret.

Tamen ferendum id fuit, Auditores; ut erat Gallia vixdum civilibus emersâ discordiis, quas Hæresis ipsa tanto publicæ quietis ac tranquillitatis detrimento suscitârat; non videbatur esse prudentiæ moliri quidquam gravius, unde asperata rursùm, nondum extinctas bene rebellionis faces accenderet. Hæc erat via mollior, eadem & efficacior; si paulatim infringeretur Hæresis auctoritas; si subtraherentur illi præsidia, quibus nitebatur; si spoliata Ducibus, in quibus confidebat, rudis & imperitiæ multitudinis permitteretur arbitrio moderanda.

Atque hoc fuit, quod singulari prudentiæ laude præstitit Henricus Magnus; cum ejuratis ultrò

Cal-

Calvinianæ sectæ erroribus, sese in avitæ Religio-
nis gremium recepit; cùm exempli sui æmulatione
principes & antesignanos hæreticæ factionis eis-
dem partibus conciliavit; cùm sincerâ, constanti-
que pietatis significatione, quoad vixit, & Religio-
ni, quam erat amplexus, honorem ac pretium, &
Hæresi, quam deseruerat, contemptum & despicien-
tiam concitavit.

Hinc debilitata plurimum suis jam rebus diffi-
dere Hæresis cœperat: at postmodum apponens
lucro immaturam junioris Principis ætatem, sic
invaluerat paulatim, ut res novas moliri, & tur-
bas ciere de integro meditaretur. Erat coërcen-
da insolescentis superba temeritas, aut impunitate
statim facta ferocior, miseram editura strages vi-
debatur.

Sensit hoc singularis Ludovici Justi sapientia;
& adjuvante sagacissimi, si quis unquam extitit,
Ministri dexteritate, sic rebellantis fastum contudit,
sic repressit vires, sic spes infregit, ut resipuerit
tandem Hæresis: hoc satis contenta, si moribus suis
ac legibus vivere sibi permitteretur. Concessum id
fuit, Auditores, non indulgentiâ vel præposterâ be-
nignitate, sed necessitate temporum, quæ curas aliò
cogitationesque distraherent.

Tamen nolite dubitare, quin grande quidpiam
Religionis ergo pro suâ sapientiâ moliretur Prin-
ceps religiosissimus, cùm seipse, Populum & suum,
totumque Gallicum imperium Deiparæ Virgini tam
solenni pompâ devovit. Intelligebat scilicet, quan-
tum hinc ad promovendum Religionis opus præ-
fidij esset expectandum.

Neque verò distulit longius pijsimi Numinis
benignitas comprobare certissimo pignore plenum
altissimâ prudentiâ consilium; cùm eodem hoc
anno, quo peracta nuncupationis hujus celebritas
est, expectatus communibus totius Galliæ votis

X

Prin-

Princeps ille prodierit, cui extinguendæ penitus Hæresis gloria reservabatur. Ludovicum Magnum fati intelligitis, Auditores, tam gloriosi operis artificem; verum quàm singularis ejus enituit, tam in eodem inchoando, quàm promovendo, consummandoque sapientia!

Erat incredibilis cujusdam auctoritatis excindere penitus sectæ genus illud, quod stabilitum diuturnitate temporis, pactorum fide roboratum, tot edictorum veluti consignatum sigillo convaluerat. Id intelligens, studuit hoc unum ante omnia Ludovicus; ut tot rerum miraculis, tot prodigijs facinorum, tam continuâ regni ad votum fluentis serie, quam suspexit universus orbis, Majestati regiæ pondus ac momentum adderet. Quod ubi semel putavit se consecutum; tum sic aggressus est fatalem hydram, non ut uno ictu confoderet, sed singula ejus capita alia ex alijs paulatim amputaret.

Florebat Hæresis olim in Aulâ, & apud ipsum Principem in pretio, suis inde gratiam atque auctoritatem accersebat; hanc neque domo in suâ, neque inter amicos habere locum Ludovicus passus est. Militabat in castris, exercitibus præerat, imperabat in provinciis, Magistratibus in foro defungebatur; hinc dejecta pariter, & omnibus nobilitatis insignibus spoliata, natalibus tenebris damnata est. Rem faciebat in commercio, & in tractandis pecuniis publicis amplissimas nacta facultates, suorum inde commodis providebat; pecunias tractare publicas & mercaturam exercere prohibita est. Colebat humaniores Artes in scholis, & tam puros fontes veneno suo inquinabat; potestatem illi docendi omnem sustulit Ludovicus. Aderant Erroris administri, qui venenum spargerent in vulgus, nutantes erigerent, firmarent stantes, timidos ac diffidentes promissis & spe fortunæ melioris laetarent;

starent; hi vel donis ac largitionibus ad meliores partes traducti, vel obtinationis in pœnam longius summoti sunt. Restabant arces, quò se Hæresis reciperet: Tempia dico respirantis adhuc factionis propugnacula: Ædes profanas, tot erecta de Catholicis trophæa & victæ Religionis monumenta Ludovicus excidit. Sic per ista vulnera præludebat Rex sapientissimus ad lethalem ictum, quo fatalem hydram percutere, & ipsam arcanis molitionibus & occultas per artes ruinæ suæ adlaborantem apertiori jure opprimere meditabatur.

Interim dum tam prudenter Religionis opus Ludovicus promovebat, quàm laudabilis ubique cernebatur ejusdem sapientiæ æmulatio! Quàm sedulus Gallicis in Præsulibus labor, ut quos Ecclesiis præficerent, eos probitas & eruditio commendarent! Quàm multa surgebant undique pietatis ac doctrinæ Seminaria, in quibus deputandi olim sacris ministeriis adolescerent, & ad virtutum omnium exercitationem informarentur. Quantus fervebat in Scholis ardor studiorum, quanta Religiosis in Familiis sanctitas morum cum sacrarum Literarum cognitione certabat!

Nam spectatum erat atque cognitum fatali priorum temporum experienciâ, unde mali labe, & tanta Religionis corruptela profecta esset; ac si tam instructus olim bonis Artibus, tam incorruptus, quàm nunc est, Gallicanus Clerus extitisset; nunquam profectò tot monstruosa Errorum portenta fidem invenissent.

Et ipsi Legum vindices, Æquitatis arbitri, sapientissimi Juris utriusque moderatores, quàm diligenter, quàm providè consulebant; ut quæcúmque Religionis in gratiam sancirentur à Religiosissimo Principe, suum hæc ubique pondus atque auctoritatem nanciscerentur! Quàm ferebant ultrò

rescindi suo de corpore, qui in vitis ipsis ac semper reclamantibus in augustissimum Ordinem irreperant! Quanta gestientium animorum significatione viderunt refigi tandem, rescindi, abrogari decretis melioribus, extorta olim ab Hæresi per vim ac nefas. Educta illa, quæ nec admissa fuerant unquam, nec in Acta Senatûs relata, nisi contestatum prius fuisset ab universis Patribus, interpositâ prudenter itâ clausulâ, quidquid concederetur Hæreticis, id necessitati temporum condonari, donec aliter provideretur!

Quàm sinceris totius Fori plausibus Christianissimo Regi acclamatum, quàm solennes eidem Senatûs amplissimi nomine habitæ gratulationes; quòd cunctis Imperii Gallici finibus Errorum monstra, in Religionis Regniq; perniciem nata proscriptisset! Ita ut Senatores amplissimi non jam tantum, aut forensis Eloquentiæ restauratores egregios, aut legum ipsarum sagacissimos emendatores, sed Religionis ipsius vindices atque assertores fuisse gloriari possint.

His adjuncta præfidiis tam feliciter Religio crevit in Galliâ, & tantum decus defensoribus suis atque propagatoribus toto hoc Sæculo concitavit. Laus hæc Gallorum prima, Auditores; jam quam floruerint Armorum gloriâ, alterâ Orationis partem cognoscite.

II. P A R S.

Quo fieri Gallorum fato dicam, Auditores, cum suavissimam gentes inter cæteras & minimè amicam contentionis indolem nacti videantur; gravissimos tamen omni temporum serie adversarios habuerint. An quòd vicini populi importunam dominationis avidæ, quâ tenebantur, moram in Gallis experti, suscipere nobiscum inimicitias, quam refrænare ambitionem maluerint? An quòd con-

spiciã

spicuâ in socios, & in amicos fide pulchrum semper duximus partiri cum ipsis labores ac pericula? An quodd denique rerum à nobis gestarum gloria sic perstrinxit æmulatorum oculos, ut, quos illi non poterant assequi, eosdem saltem laceffere atque impugnare obitarent?

Ut ut est, absit ut queramur factum, aut infectum velimus esse, Auditores. Quanto major exarsit in nos vis hostium, tanto ampliorem nobis gloriæ segetem suffecit. Atque ut fuit hujus Sæculi fatum, ut nunquam videatur acrius oppugnata fuisse virtus Gallica; ita nunquam patuit illustrius, quantâ armorum laude cæteris gentibus eadem antecelleret.

Ecquando enim vel bellatum apud Gallos tam solerter, vel certatum tam gloriosè, vel vincere contigit tam feliciter? Sic ut hostium numerus solertiam acueret, robur ac ferocitas stimularet virtutem, pertinacia plures ac lætiores triumphos adornaret. Quæ si omnia delibare tantùm ac perfringere cursim videar, date veniam, Auditores, & nimiam rerum copiâ laborantem adjuvare.

Agite, repetite mecum prima Sæculi hujus tempora, Auditores, & quæ vel vidistis ipsi, vel didicistis à parentibus, in memoriam revocate. Vix civilibus emerfisse discordiis videri poterat Gallia, & Henrici Magni cum pacata laboribus, tum Ludovici Justici consilio sapienter administrata, beatæ pacis munus & optatum jamdiu tranquillitatis otium gustare cæperat; cum novi hostes insurgere denovo, quorum non tam apertâ vi coerceret impetus, quàm singulari prudentiâ occultas artes declinaret.

Hinc enim solidioris avida gloriæ domus illa, Gallicæ gentis nuper æmula, quæ vel ipsis totius Europæ finibus cogitationes vix metiretur suas, erat perpetuis veluti in speculis, unde imaretur in

Galliam aditum, & quem in nostrâ fortitudine consiliis suis obicem sentiebat, hunc vel perumperet aperto Marte, vel occulto astu feliciter superaret. Inde longioris otij pertæsus Britannus, qui necdum abjecerat spem omnem recuperandi partem illam Galliæ, quam olim occupavisset, præstolabatur occasionem commodam; si fortè veteres discordiæ & intestini apud Gallos tumultus renascerentur.

Adfuit tandem utrisque tempus illud, quod concupierant, & parandæ gloriæ, ut existimabant illi, peropportunum. Scilicet nondum extinctas bene in ulteriore Galliâ rebellionis faces Hæresis suscitârat, exciverat populos ad arma, & servitij impatientis jugum excutere velle videbatur.

Tum enimverò concipere spes novas Iberi Principes: & quos concordēs vix possent, occupatos civilibus discordiis Gallos adoriri. Mox & opem Gallicis factionibus, quam vellent, Britannus ultra polliceri, & instruere classem illam formidabilem, quæ nostris toties non sine gravi jacturâ pulsa litoribus in patrios fines remeavit.

Vidit pro suâ sapientiâ imminentem Galliæ procellam Ludovicus, qui intestinos in Regno motus dum comprimit, sic elusit exterorum insidias, ut in ipsos belli vim omnem derivaret: & quibus petebatur artibus, eisdem in adversarios uteretur. Nam suscitatus hoc ipso tempore in Germaniæ caput Palatinus Comes Fredericus graves ac multas ciere turbas, conciliare partibus suis Germaniæ Principum gratiam, repetitis adversarios afficere cladibus, & Bohemiæ Regnum, cui Ferdinandus Imperator inhiabat, reluctante eo nequicquam occupare.

Mox interjecto paucorum annorum spatio, quantas eidem Germaniæ clades attulit fretus Gallicis opibus ac copiis Gustavus, quàm multas expugna-

pugnavit urbes, quot in suam ditionem provincias redegit? Sensere demum hoïtes libertatis publicæ, quid suæ sibi artes profuissent, & in refarciendis propriis cladibus occupati, hoc studere deinceps unum, ut se ipsi à servitute vindicarent.

Et tu, infelix Britannia, cruenti postmodum belli theatrum, & in mutuas nobis ipsis dolentibus acta cædes funestum toti orbi dedisti spectaculum: & quam afferre nobis cogitabas, eandem ipsa cladem accepisti.

Quod si his temporibus amissum in Richelio tutelarem Genium luxit Gallia, quem promovendis rebus Gallicis natum toties senserat, mox habuit, unde desiderium leniret suum, experta in Henrico Condæo, quousque spectata excelsi consilii sapientia: in Enguineo, quousque invictus virtutis heroicæ vigor posset peringere.

Sed jam me rapiunt ad se se gloriosa Ludovici Magni tempora, & multiplex bellicis in rebus Gallicæ sub Rege tanto solertiæ monumentum sufficiunt. Meministis, Auditores, quantam Galliæ in perniciem conflatum ante annos viginti quinque triplicis potentiæ fœdus coaluisset? Verùm ut disturbatum illud brevi unâ Principis sapientissimi prudentiâ concidit! Emendata scilicet, ut merebatur, & damnata solvendis fatalis belli sumptibus Batavia fœdus abjecit invisum, & suo à cæteris divortio totum conjurationis vinculum dissolvit.

Revocate etiam animo celeberrimæ illius Expeditionis memoriam, quæ tanta rebus nostris comoda, & perennem Fabio Gallico singularis in bello prudentiæ famam peperit. Conflabatur ex collectis totius Germaniæ viribus formidabilis exercitus, erupturus jamjam per Campaniam, quâ parte defensa minùs Gallia videbatur. Quippe profectus in Flandriam novos ad triumphos cum lectissimo

Gallicæ nobilitatis robore Ludovicus, instructum exiguis copiis Turennum custodiendis Germaniæ finibus reliquerat.

At non latuit Ducem sagacissimum quid hostes minitarentur; sed progressus ipse in penitiores Germaniæ recessus, antequam illi convenissent, diu multumque victitat hostium impensis. Mox factus certior adornatum tandem esse hostilem exercitum, ita regreditur per eandem viam, quam veniens intactam esse voluerat à militum injuriâ, ut circumjacentes latè terras populetur, & ad singula penè vestigia aut transiliendas fossas, aut diruendos aggeres, aut expugnanda propugnacula consecuturis jamjam hostibus relinquat. Neque verò sua spes fefellit Turennum; nam superveniens hostilis exercitus cum desolatam ubique regionem, & perpernos inter eundem obices invenisset, partim consumptus fame, partim longiori morâ fractus, amplam nobis vix aut dato aut accepto vulnere victoriam aperuit.

Et in isto tam diurni belli discrimine, quod extremum Gallicis rebus exitium allaturum jactabatur, putatis futurum fuisse, ut eo defungeremur tam feliciter, aut etiam fœderatis Europæ viribus pares inveniremur, nisi solertia fortitudinem adjuvisset?

At quoniam Ludovici Magni provida mens locorum ubicumque præsens & attenta semper hoc præcavebat, ut Galli processissent in aciem, antequam hostes de profectioe cogitassent; ut parati forent ipsi ad conferendas manus, priusquam illis metari castra contigisset; ut jam urbes obsidione premerent, cum nec obsidendas illi suspicarentur: ut recentes locis in omnibus, integras ac vigentes copias sufficerent, fessas illi objicerent, fractas viribus & exhaustas: ut usque faveret ipsis locorum opportunitas, cum illi deteriore semper loco

loco positi invenirentur; quid aded mirum est, si nihil aliud promoverit tam pertinax conjurantium in Gallos multitudo, quàm ut illustriorem ipsis triumphorum segetem adornaret?

Huc adijce tam actuosam in Gallis, tam repentinam castrorum celeritatem, ut hostium consilia, molitiones, insidias semper eluderent; tam indefessum in peragrando multas disjunctasque exiguo tempore Europæ partes laborem, ut non una gens, sed multiplex & quasi de integro procreata videretur: tam altam tamque imperviam apud ipsos arcani religionem, ut quo tempore meditata dudum peragebantur consilia, eodem fuisse suscepta putarentur.

Mitto jam dicere quàm peritos, quàm solertes Gallia protulerit rei bellicæ artifices & architectos: quàm faciles ac compendiosæ initæ fuerint ad expugnationes urbium viæ: quantus in castris vigeat ordo disciplinæ, quanta apud omnes scientia rei militaris; quam vel hostes ipsi ita stupuerunt interdum, ut in singulis militibus Duces totidem, in Ducibus totidem Imperatores venerarentur. Sic, Regum Maxime, cælestis illius sapientiæ, quam singulari Superùm munere nactus es, partem aliquam diffundis in tuos; neque quisquam est, qui ad luminis tanti splendorem non collustretur.

Quodd si consilio & rei bellicæ solertiâ aded præstitère Galli cæteris gentibus; quantò superiores virtute & facinorum illustrium gloriâ fuisse dicendi sunt? Tam diu est, ex quo addictam sibi fortitudinis laudem Gallia vindicat; ut Gallum esse idem omnino sit, ac esse fortem: vixque jam Heroës nostri ab eâ prædicari se parte sustineant, quam imis pariter ac summis communem esse fateantur.

X 5

Enim-

Enimverò quem è Gallis tandem deficeret animus in adeundis periculis, qui in ipsis Regii sanguinis Principibus egregios animæ magnæ prodigos ac contemptores agnoscat? Eset aliquis lentus ac reses, cum aut sustinendus, aut laceflendus hostis est, qui Contiacum aut Borbonium viderit ad Stinkerkam medias inter neces imperterritos, & redivivam in se Condæi Magni virtutem attonitis hostibus exhibentes? Qui conspexerit olim Enguineum aut Limburgi mœnia perrumpentem, aut dejectum ab equo suffosso parentem, dum ad Senneffum relevat, oppositu corporis igneos globulos tam caro capiti defendentem? Qui Philippum meminerit ad Casellam sic oblitum periculi, ut, dum victum hostem urget acriùs, multis hinc atque hinc ictibus peteretur, vixque id ad aliquam fortitudinis laudem pertinere existimaret? Qui spem Regni dulcissimam, præsidium Galliæ, Populorum amores Delphinum obstupuerit, vel cum in Germaniã lacefleret hostes in propugnaculis, vel cum erumpentibus undequaque æratis glandibus Philippoburgum expugnaret? Qui denique Ludovicum ipsum, unde Gallici Imperii securitas, gloria, salus dependent, non sine gravi trepidatione suspexerit toties gravissima volantis undique plumbi discrimina erecto vultu despicientem?

Unum est quod verear: Auditores, ne illustriora pleraque fortitudinis Gallicæ exempla, quæ sunt edita passim toto hoc Sæculo, splendidiùs, quam magnificè decantata, vix edi potuisse olim existimentur, &, quam fabulosis penè Heroibus fidem hodie denegamus, eandem Gallorum facinoribus denegandam nepotes nostri arbitrentur.

Nam si Græcia suâ mendax in historiã visa est, cum stratum pontibus Hellespontum narrat à Xerxe, & Abydo Seston admotam: an veraciores Galli

Galli suis in Annalibus videbuntur, cum impostum à Ludovico Justo referent Oceano frænum, & properantem obsessæ urbi classem hostium interjectâ medios in fluctus mole fuisse compressam, nisi superstites adhuc superbi illius operis reliquiæ fidem vel ab invitâ posteritate extorqueant?

Quod verò de junioris Alexandri victoriis produnt historiarum monumenta, id si vix ac ne vix quidem creditur non oblitum aliquo adulationis furo; num æquius olim sibi persuadebunt, qui legent, primum hoc fuisse Condæi Magni in re bellicâ specimen, ut retunderet collectas Iberiæ vires; eundem vix affecutum annos unum & viginti decretoriis præliis extitisse sexies victorem; & cum in unâ urbe capiendâ Græciæ totius Heroës decem annos olim contrivissent, novum Heroa Gallicum uno anno urbes decem fortissimas expugnâsse?

Ubi verò ventam fuerit ad illa virtutis Heroicæ prodigia, quibus scetam Ludovici Magni historiam admiramur: cum narrabitur tranatos à Gallis rapidissimos fluminis Rheni vortices, dum hinc accenderet animos invicti Regis præsentia, inde facinus spectaret hostis ex adverso litore, & ærata circum undique grando perplueret; quantus erit posteritatis stupor, quanta admiratio? quæ collatis inter se ætatibus noverit, idem à Romanis Heroibus susceptum toties & irrita semper conatu fuisse pertentatum.

Jam cum urbes quatuor & quadraginta uno mense occupatas; Sequanorum fines trium hebdomadarum spatio Gallicæ ditioni adjectos; conjurantes mutuum in fœdus, Bataviam, Iberiam, Germaniam accisas feliciter & ad unius pacis amorem adductas; cum per asperas hiemes, per madida luto & corrupta imbribus loca, spectantibus florentissimis exercitibus, hæc aggressos fuisse Gallos,

disje.

disjecisse, occupasse, quæ conditionem, ut vincerentur, non habebant: cum victores ubique, ubique triumphantes, victos nusquam, nusquam infractos ætates venturæ intelligent, an non adscita de veteribus fabulis plurima vel suspicabuntur, vel felices certè Gallos prædicabunt, quibus ab invicto Imperantis robore virtus eadem, pares animi affarentur.

Quid enim tam insolens, tam incredibile veteres historiæ proferant, quod sternere viam possit vel ad ista, vel ad reliqua Gallicæ fortitudinis miracula aut suspicienda minùs aut proniori fide excipienda? Scrutamini per me licet reconditiores totius antiquitatis latebras; excutite diligenter ætatum, locorum, nationumque omnium monumenta: revocate in memoriam celebrata magnificentius Poëtarum commentis ac fabulis sæcula: prodibit, credo, ex illâ caligine temporum, ex illâ totius vetustatis serie exurget populus aliquis, in quem hostis tam multiplex, tam potens, tantâ animorum contentione, tam diu, tam pertinaciter, terrâ marique conjurârit? qui sibi relictus uni, suis fretus unis viribus, contra vim simul ac dolos habuerit dimicandum? cujus in solo nulla pars quæ non impeteretur, & exitio designata non foret?

In ijs rerum angustijs quis tandem exerendæ virtuti Gallicæ locus relinquebatur? quæ spes parandæ splendidis quibusdam facinoribus gloriæ affulgebat? quo pacto laceffendus & urgendus hostis, qui à fronte, à tergo, ab utroque latere sustinendus incumberet? An non actum iri satis bellè cum Gallicâ gente videbatur, si nihil partæ olim in bello gloriæ deperderet? si totius Europæ formidabilem impetum cum aliquâ defensionis laude sustineret?

Nempe

Nempe hoc sibi Galli vindicent aut agnoscant suum, quod illustriori gloriâ vacaverit. Illos aut difficultas operis, aut numerus hostium, aut periculi magnitudo deterreat, qui felicibus Ludovici Magni temporibus procreati continuâ fatorum experientiâ didicerint, sub tanti Regis auspiciis pugnare idem esse ac vincere.

Sensit enim verò Europa tota, quibuscum sibi res foret. Vidit laceffentes ultrò, qui oppugnandi censebantur: victores semper triumphantésque obstupuit, quorum certam ad perniciem tantum cum apparatu advolârat. Sed ista, video, pertinent ad Gallorum felicitatem, quæ ipsorum in consulendo solertiam, fortitudinem in agendo consecuta est.

Etsi non est rerum illarum felicitas, quam præstare quisquam de se ipso possit, neque culpandus videtur ille, cui successerit minùs feliciter, si nec in deliberando prudentia, nec animus in exequendo defuerint: tamen est hæc perversitas, dicam, an fatalis error multorum, ut ex eventu solo res æstiment, neque prudentem quemquam fuisse putent aut fortem, qui fortunatus idem non extiterit. Absit, Auditores, ut tam pravâ quorundam hominum opinione abuti velim ad gentis Gallicæ prædicationem; aut collaudandos putem Gallos à felici rerum suarum exitu, nisi maturitate consilii atque virtutis præstantiâ, quod jam confectum à nobis est, fortunam servire sibi vel repugnantem, & suis addictam signis famulari coëgissent.

Ecqua porrò natio est tam confidens sui, tam ambitiosa votis in suis, quæ à Superis tot ac tantas res audeat optare, quot & quantas Superi ad Gallos detulerunt?

Mirabatur olim Princeps Trojanus, cum delatus tempestate fuisset in Africam, suasque & suo-

rum

rum pugnæ ad Trojam in tabulis depictas oculis perlegeret; mirabatur, inquam, tam longè propagatam fuisse rerum à se gestarum famam, & conversus ad socios, mœrorem inter & gaudium exclamabat; *Quæ regio in terris nostri non plena laboris!*

Quantò id æquius ac gloriosius prædicari de gente Gallicâ potest, Auditores? Nam quæ plaga tandem, quæ pars in hoc orbe universo, quam Galli vel non illustraverint laboribus suis ac triumphis, vel nominis sui famâ non impleverint?

Testis est Flandria, cujus partem longè optimam ditioni suæ adjectam Galli gloriantur. Testis est Batavia, quam oblitam fidei & obsequii parùm memorem trium provinciarum & quadragintâ urbium expugnatione emendârunt. Testis est Iberia, quam in fines Galliæ longè latè que grassantem multiplici victoriâ represserunt. Testis est Burgundia Sequanorum, quam semel atque iterum occupatam sui juris fecerunt, & extinctis veteribus odiis cum alterâ Burgundiâ conjunxerunt. Testis est Germania, quam ab utroque Rheni latere felicibus armis domitam expugnârunt. Testis est Hungaria, quam victis ad Arabonem Ottomanis, ab infami servitute defenderunt. Testis est Alsatia, quam æterno fœdere Gallico Imperio mancipatam ab Hæresis dominatione ad avitam Religionem traduxerunt. Testis est Suecia, quam in Gallicâ societate constantem ab æmulorum injuriâ vindicârunt. Testis est Britannia, quam utrique Oceano dominantem ingenti clade toties affecerunt.

Testes verò jam omnes oræ, atque omnes exteræ gentes ac nationes; denique maria omnia, cum universa, tum in singulis oris omnes sinus atque portus.

Nam

Nam quid dicam Tripolim in Syriâ; quid in Africâ Tunetum & Algerium globis igniferis attrita? Quid memorem exscensione factâ Genuam intentam castigatamque, & ad culpam eluendam primores urbis Luteriam accersitos? Quid definitam loquar Imperii Gallici & Turcici æqualitatem, & dum natio illa reliquos populos insolentiùs despicit, parem iuter sedendum honorem Oratori Gallico & supremo Visiri delatum? Quid adjiciam accitos longiùs Gallici nominis famâ ex Siamensi regno Oratores, & ad contemplandam propiùs Ludovici Magni gloriam impulsos?

Hæc sunt illustria rerum à Gallis toto hoc Sæculo feliciter gestarum monumenta: quæ si perillustrare curiosiùs quis velit, excurrat ille tantisper in Galliæ limites; & quam feliciter fuerint propagati, ex quo rerum habenas Domus Borbonia moderatur, secum expendat.

Hic, ubi Picardiæ finibus Gallia terminabatur, eandem video provinciam ultra Atrebatensem, & totum Flandriæ Comitatum longè propagatam. Illic Campaniam habebat olim pro repagulis; nunc Alfatia, quàm longa est, & continuâ Rheni fluminis ripâ continetur. Inde offerebat se se Burgundia, quæ nullis olim munita aggeribus, nullis propugnaculis defensa latus apertum hostibus objiciebat; hodie Sequanorum finibus, & arcibus circumvallata fortissimis defenditur. Sic provinciæ Lugdunensi Sebusianus ager adjectus, Occitaniam Ruscinonensis regio protegit ac tutatur. Ac si reliquis à lateribus protensa ulteriùs Gallia non cernitur, cogitet ille, quisquis est, Auditores, nihil ab ea parte præter maria vel perpetuos montes Gallicæ virtuti fuisse objectos.

Mox ad reliqua victoriarum nostrarum trophæa & perillustres reliquias oculos advertat. Observet

fervet idem sedulò urbium multitudinem, varietatem castrorum, propugnaculorum robur, quæ ad tutandos secundi Martis fructus provisæ sunt; numeret, si potest, quot erepta domitis per tot annos hostibus tormenta bellica nostris jam tegendis mœnibus inserviant; agnoscat & perlegat in singulis varia variorum populorum, & nomina, & stemmata. Ingrediatur singularum arcium civitatumque Armamentaria, & enses, loricas, scuta, galeas, aliæque, id genus, triumphorum nostrorum monumenta admiretur. Suspiciat appensa templorum tholis, & distincta tot Principum, tot Regum, tot Provinciarum Regnorumque insignibus vexilla.

Hæc porrò sunt ejusmodi, Auditores, ut, si vel taceant Annales hujus Sæculi, vel si magnitudo novitasque facinorum ægrè fidem inveniant, ijs tamen minimè liceat obtrectare. Quamobrem si cui populo parta toto hoc Sæculo bellicis rebus gloria primas deferre debeat, quis dubitet eandem Gallis vindicare, quos armorum solertiâ, virtute ac felicitate constat cæteris tantopere nationibus præstitisse?

Hunc affecuta dignitatis apicem Gallia quid aliud vel postulandum deinceps à supremo Numine, vel etiam optandum habeat, nisi ut venturis deinde sæculis, cum assurgere altiùs non posse videatur, in hoc fastigio gloriæ collocata sic perseveret, ut suis exemplo, exteris admirationi, utrisque magno cum Religionis, tum fortitudinis documento sit?

Quamquam confide, Gallia, ecce uberioris etiam incrementi spem tibi novam eandemque certam sufficit singularis illa, quæ Principum nostrorum ac regni Gallici fati invigilat Providentia. Has illi debemus immortales gratias, quod clarissima Imperii nostri lumina non uni tantum sæculo
osten-

ostentârit; & quos majore, ut sic loquar, labore efformaverat, eosdem singulari quadam voluptate pluribus sæculis commodaret. Ita Clodovæum, ita Carolum Magnum, ita Philippum Augustum, ita Henricum Magnum, viros pluribus dignos sæculis, non uni sæculo voluit esse superstites. Ita & Virum immortalitati natum Ludovicum Magnum ætatis jam hujus gloriam, alteri etiam ætati incolumem reservat.

Fortunatum omni ex parte Parentem, qui dignum se nactus sit Filium, & præclaris tot suis dotibus imitandis parem: quem tam splendida virtutum exempla non terreant, sed incendant! Feliciorum Avum, qui in tanto Nepotum numero, tanquam totidem in speculis fidam sui imaginem possit contemplari! Felicissimam Galliam, quæ in hoc Sæculi renascentis aditu, duraturæ felicitatis tot obsides, tot perpetuandæ gloriæ certa pignora sibi gratuletur.

Nam quid illa sibi jam non adpromittat ex lætissimâ juniorum Principum copiâ, qui ipsius in sinu tam feliciter adolefcunt? Quò illi non promovebunt apud te, ô Gallia, Religionis gloriam; qui tam altos in ætate tam tenerâ de Religione sensus imbiberunt? quibus de penitissimis rerum sacrarum mysteriis nihil latet? quos in ob-eundis divini cultûs officiis tam pios, tam Religiosos admiramus?

Quòd si rerum tuarum splendor, aut mala vicinorum æmulatio novos tibi hostes suscitabunt, qui beatam illam, quâ nunc frueris, tranquillitatem ac pacem olim interturbent; quanta partæ jam bellicis rebus gloriæ seges accedet ab eisdem Heroibus; quos invicti Parentis & Avi tot imitanda prodigia acrioribus stimulis accendunt. Dedit jam ad Compendiensa castra suæ in bello

Y

solertiæ

solertiæ virtutisque specimen, quem provida felicitatis tuæ fata tibi Principem olim destinant, serenissimus Burgundiæ Dux; & vel ex ludicrâ umbræ palæstrâ facere conjecturam debuisti, quantus in veris crudioribusque pugnis, cum erit tempus, futurus sit.


Neque tu verò tam studiosa bonarum Artium, ô Gallia, leve præsidium invenies in Augustis Fratribus, qui politioribus exculti Literis, & earum pretium nôrunt, easdemque promovendæ regnorum gloriæ pariter ac felicitati natas didicere.

Nihil igitur superest ultrà tibi quod precemur, ô Gallia, nisi ut Avum, Parentem, Nepotes longos per annos videre incolumes possis. Sic erit, ô Deus Immortalis; & quæ facimus vota pro felicitate Domûs Augustæ, ultrò exaudies. Agitur gloria tua, agitur dilectissimi tibi populi salus, ut, quos ad Religionis tutelam, ad præsidium Galliæ procreâsti, in iisdem tuendis conservandisque, tuis ipsius beneficiis foveas; & hanc tantam spem novi Sæculi ratam habere velis.

*Oratio habita Primo Novi Sæculi Anno
M. DCC.*



JACO.



JACOBI II.
MAGNÆ BRITANNIÆ
REGIS
LAUDATIO FUNEBRIS.
ORATIO IV.

EReptum nobis luximus ex hoc loco paucos ante
menses amantissimum Principem *; ecce no-
vi Inctûs hodiernâ die seges exurgit. Illustris-
simi Ecclesiæ Principes, Præsides Illustrissimi,
Amplissimi Senatores, Viri omnium Ordinum
Ornatissimi. Luger enim verò amicum hospitem
Gallia, Regem optimum Anglia desiderat, Re-
ligio defensorem acerrimum requirit. Felicem ta-
men vel in dolore suo, fortunatâque nimis Gal-
liam; quæ fausta Jacobi II. primordia jam olim
suspexerat, & ultimos morientis ejusdem spiritus
exceptit! Rerum ab eo gestarum testis per tot annos
miratrixque perpetua, habebit semper, unde tanti
Principis hospitio lætetur, & suavissimâ suâ cum
eo necessitudinis recordatione, desiderii acerbita-
tem leniat.

At doleat Anglia ademptum sibi publicæ quie-
tis ac diuturnæ pacis conciliatorem; Religio Pa-
renti optimo acerrimôque vindici studeat parenta-
re. Imò, imò præcipuas in communi luctu partes
hodie Religio sibi vindicet; & quantò se illustrius

Y 2

à re-

* *Philippum Ducem Aurelianensem, unicum Re-
gis Fratrem.*

à religiosissimo Principe ornatam meminit; quanto cupidiùs amatam se fuisse gloriatur, tantò in referendis gratiis alacrior, tantò ad exornandam beneficentissimi Regis memoriam paratior existat.

Nos verò, quos impensè fovit inter ceteros vivens ac moriens Jacobus; quibus præsidium, gratiam, & quod multò pluris ducimus, tenerrimum amorem semper impertiit; quorum fidei ac studio delicias suas, regales liberos, ipsòsque animi sensus arcanos ultrò credidit; an non commodabimus hodie Religioni vocem, & aliquam tam honorifici muneris in partem veniemus? Ah! potiùs filere pudeat, ubi Religionis res agitur, ubi debitum gratus ac memor animus obsequium exigit.

Erumpat igitur tam felicem nacta dicendi campum solennis Oratio, & quoniam totam hanc sibi Religio postulat, nefas sit quidquam dicere, quod non referatur illuc, aut eòdem minùs pertinuisse videatur. Hoc ipsum laudationis genus, si quid obsequii nostri ratio pios Manes adhuc sollicitet, unum magis omnibus Jacobo placeat; cujus cogitationes omnes, curæ, contentiones eò spectavère demum, ut fidelem Religioni, totâ, quàm longa fuit, vitâ, operam exhiberet. Suffragabitur & mihi in hac parte summi Pontificis auctoritas, qui, auditâ Jacobi II. morte, plenus eo studio, quod Religionis amor inspirat, sacro ipse in confessu tanti Principis Religionem ac pietatem magnificis laudibus profecutus est.

Neque tamen exclusas ab eo quis putet reliquas mentis animique dotes, quæ natum moderandis sceptris Principem commendare solent; verùm illas omnes in Jacobo Magnæ Britanniae Rege, sic effulxisse, spero, quivis intelliget; ut impensò Religionis studio cederent, & suum ab eo splendorem mutuarentur.

Tripartita Jacobi II. vita, triplicem id efficiendi, quod ego proposui, viam sufficit. Sic enim tribus illis gloriosæ vitæ partibus Religio præfuit, ut easdem moderaretur semper, neque fieri quidquam pateretur, quod illa non præscripsisset. Dignus folio Jacobus, antequam illud capefferet, & hæres Imperii legitimus, maluit subire periculum excidendi debito successionis jure, quam defertor Religionis, aut dissimulator videri; hoc Primum. Adeptus folium Jacobus ejusdemque pacificus possessor, non timuit Regno carere, dum Religioni fervit; hoc Alterum. Denique orbatus folio Jacobus, nec oblitus quidquam, ut amissum recipe- ret, omnia deinceps, Religionem beatam suam, contempsit, hoc Tertium. Sic in conditione vitæ tam variâ, tam difficili, tam perturbata, regis ubique clarus virtutibus, Religionis laude clarior Jacobus extitit; hoc porro tergemina Orationis parte dum persequor, vestram me dicentem benevolentiam sustentate.)

I. P A R S.

Non erit hinc operæ pretium, Auditores, conquirere longius peregrina testimonia, unde quis intelligat, quam dignus folio Jacobus videri debuerit, antequam illuc eveheretur. Sileat enim verò tota Britannia; testis hodiè que meminisse Gallia possit, quanto virtutum comitatu fretus in spem triplicis Coronæ Dux Eboracensis olim adolesceret. Fatali quadam necessitate temporum medio patriæ de sinu raptus statim ab juventute, quod non habuerat inter suos, tutum apud nos per- fugium invenerat; neque opinor sine peculiari Dei omnipotentis consilio, qui posita nobis ante oculos tanti Principis primordia esse voluit, ut edendis ab eodem sub vitæ finem miraculis unusquisque nostrum facilius assuesceret.

Nec otiosa fuit apud nos Eboracensis Ducis juvenus, nec vulgaribus factis consignata. Nolim ego miserrimi illius temporis refricare memoriam, cum intestinis agitata discordiis Gallia suas in se ipsam vires converteret. At recordari tamen non pigeat, quàm utilem rebus nostris operam Jacobus navaverit. Fortis miles, Dux strenuus, sapiens Imperator erumpere viriliter, quocumque res posceret: dignus jam tum, suo in Ludovicum studio, cui tanto cum scœnore gratiam Ludovicus olim rependeret.

Quantum enim verò, quàm multiplex ad Mussipontum, ad Stampas, ad Atrebatum, ad ipsa Divi Antonii suburbia solertiæ, fortitudinis, prudentiæ specimen edidit. Non testabor hîc Annalium nostrorum fidem, apud quos illustribus consecratam monumentis Eboracensis Ducis gloriam legimus. At appellabo Turennum, perpétuum rerum ab eo gestarum spectatorem; qui singulari junioris Principis captus solertiâ, & maturâ supra modum ætatis ad rem militarem indole, sic tyronem erudiebat, ut sapientissimi jam tum Imperatoris sagacitatem in eo miraretur. Appellabo Condæum, quàm peritum, Auditores, ac sincerum bellicæ virtutis æstimatorem! qui pugnantem mediâ in acie Jacobum expertus non semel, cum aliquando interrogaretur à Rege, quem fortissimum hac ætate virum reputaret, primas quidem, ut decebat, Regi: secundas Eboracensi Duci deferebat.

Hinc illi populorum plausus & gentis totius acclamations, cum melioribus auspiciis reversus tandem in patriam talem ac tantum Imperatorem Britannia ostentavit. Meminerant illi quidem, ut decennis puer assiterat olim parentis lateri, nec cruentam subire cum eo veritus incerti Martis aleam, impavidum & periculorum contemptorem animum jam præferret: at recentibus auctum
victor-

victoriis triumphisque nobilitatum cum cernerent, quantum hinc sibi, quantum Patriæ accessisse præsidium gratulabantur !

Sensere scilicet illi postmodum, quam non temerè tam latos de Jacobo rumores fama fereret; quam non inanem ipsi de illius virtute spem suscitassent; cum Batavicam navali prælio classem aggressus, novum ad hunc usque diem fortitudinis ac roboris prodigium, stupentibus Batavis, Anglis applaudentibus consignavit. Bis excussus navi propriâ, quam hostis incenderat, non destitit urgere pugnam acrius; donec incensâ vicissim navi hostium Prætoriâ, sepulto fluctus inter ac flammæ Obdamo, duabus ac viginti navibus aut captis, aut incensis, aut depressis, tristes laceræ classis reliquias longè latèque fugavisset. Cujus facinoris gloria vel apud immemorem Britanniam tandiu vigebit, quandiu perstabunt Senatûs acta; quo jubente decreta Victori, totius gentis nomine, solennis gratulatio est, & ad gratificandum Patriæ conservatori, quingenta ex ærario publico numorum millia, triumphale munus, oblata sunt.

Quid alteram memorem post quinque annos de iisdem Batavis victoriam; cum junctis in unum Galliæ Britannæque navalibus copiis, famosus ille totòque metuendus mari Ruiterus victus fugatúsque est? Præerat Angliæ Classi Jacobus, quem hostis ratus stare in anchoris, & concubiâ nocte imparatum aggressus, tam viriliter exceptus est, ut amissis multis navibus, Victoris arma, piceæ caliginis interventu, vix ac ne vix quidem, effugeret. Sic per ista fortitudinis prodigia præpotens rerum omnium moderator Deus invictum generosi Principis animum ad majora pro Religionis laude certamina informabat.

Tot parta facinoribus fortis ac periti terra marique Imperatoris fama, mirum, quantam apud

omnes Eboracensi Duci auctoritatem ac gratiam exciret. Accedebant reliquæ dotes animi, quæ virtutes bellicas exornarent; officiosa quædam expersque fuci comitas, caritas in domesticos, in alienos humanitas, in amicos sincero plena studio benevolentia; quibus sic omnium animos ad se rapiebat, ut in tantâ factionum varietate, quibus divitiarum ac diffidentem usque Britanniam vidimus, nulla tamen his temporibus reperiretur, quæ amicum habere Jacobum non ambiret.

Ergo omnium vergere in eum obsequia, converti oculos, voluntates inclinari, & quoniam destitutus erat liberis Rex Carolus, nec spem futuræ prolis faciebat, ad hæredem fraterni Imperii designatum populi pariter ac nobilitatis studia deflectere.

Rebus tam feliciter Jacobo fluentibus, ut non tam jure natalium, quàm conspirantibus omnium votis regnaturus olim videretur; quis animum induxisset, Auditores, deseruisse sensim populorum studia, unde par fuisset succendi illa magis atque inflammari.

Scilicet dedotus errorem jam dudum, quem cum ipso lacte suxerat Jacobus, non dubia identidem sui ad Catholicam Fidem reditûs indicia præferebat. Nam cum cupido semper æqui rectique animo hæssisset ille scrupulus, huic se mancipatum esse Religioni, quam nec coluissent olim Majores sui, nec ipsa Britannia tota, nisi Henrici VIII. temporibus agnovisset; voluerat ipsam Lutherane Sæcæ adire fontem, & quibus illa præfidiis in novam Religionis formam crevisset, diligentius perscrutari. Atque, ut erat in eo perspicax ingenium, & cum cæteris in rebus, tum verò in Religionis causâ sagacissimum, viderat penitus atque intellexerat, quàm alienis à veræ utriusque Testamenti

Reli-

Religionis institutis atque auctoribus, Protestantium, ut vocant, factio prodiisset.

Illa divino Spiritu afflatos homines, insignes morum innocentiam, sanctitate vitæ conspicuos præcones ac pastores ostentabat. Hæc avaritiæ turpissimos asseclas, humanarum divinarumque legum contemptores, viros omni vitiorum corruptelâ depravatos. Illa volentibus suscepta, & solo patientiæ lenitatisque subsidio longè latèque diffusa; hæc nata in sanguine & armorum vi propagata. Illa suadere modestiam, erudire ad honestatem, animi impotentis impetus coercere; hæc inspirare superbiam, stimulare ambitionem, pravis quibuscùmque cupiditatibus frænum laxare. Illa obtemperare noverat moderatorum imperiis, & iniquum etiam jugum constanter pati: hæc detrectare jussa Principum didicerat, & ad defectionem rebellionis faces præferre.

In tanto Religionis utriusque discrimine senserat Princeps oculatissimus, quid credendum porro, quid sequendum foret; & iisdem convictam rationibus Annam priorem conjugem, sceminam ingenii vi, & animi robore, quam sexus hic ferat, majorem easdem in partes traxerat: tantum cognita probè exploratâque veritas valuerat apud eos, quos sola Natalium conditio superstitionis cultores effecerat. Igitur ejuratis erroribus Jacobus Religionem veram deinceps colere, nondum palam id quidem, quia conscius fraternæ mutationis Rex Carolus, & ij qui Jacobi partibus impensius favebant, hoc sibi postulârunt indulgeri, donec res ipsa, quam Religionis gratiâ moliebantur, expeditam cultui ejusdem publico viam aperiret.

Etenim erat hoc in votis jam pridem Carolo, qui & Catholicum nomen fovebat in sinu, & plus

in Anglis Catholicis obsequii atque præsidii, quàm in cæteris, qui alias Religionum Sectas colerent, expertus semper fuerat, ut expetitam bonis omnibus & sanctissimis olim decretis confirmatam, liberam in Angliâ cujuscumque Religionis profitendæ facultatem restitueret. Suffragabantur Regis consilio viri non pauci in totâ Britannia primarii: interim expectare Jacobus felicia tempora, & rem conspirantibus animis promovere. Venit tandem dies ille optatissimus, qui Ducem Eboracensem votorum compotem effecit. Stabilita decreto regio, actisque publicis libertas illa, quæ Catholicam Fidem, si non penitus eximeret servitute, aliquâ saltem fortunæ melioris expectatione consolabatur.

Verùm heu! parùm providas, parùm tenaces recti mentes hominum! Cogitur postmodum Carolus refigere, quod sanciverat; & permissam tanto apparatu veræ Fidei palàm profitendæ licentiam revocare. Quanto mærore tuo, Jacobe! quanto rerum tuarum dispendio! Tuo, quem impertitæ paulò antè libertatis auctorem studiosissimum noverant, quicumque Catholicum nomen odissent. Quàm jugis hic fuit, quàm fatalis fons & origo turbarum! Sensisti periculum, nec doluisti tamen, nec te facti pœnituit, paratum ultrò quamlibet jacturam pati, dum Religionem servares.

Sensit & Carolus, Auditores, quem iniqua temporum necessitas invitum ac repugnantem huc adegerat; & commotus periculo Fratris, quem unice diligebat, tentavit omni ope ac studio, crescentem in dies metuendæ factionis invidiam avertere. Vicit tamen illa Regis prudentiam ac studium, quia Jacobi constantia atque Religio vinci non potuit. Nam ut viderunt hæreticarum partium fautores, eò demum recidisse rem, ut ad Principem Catholicum universus Angliæ Principatus, legitimo successione

cessionis jure, brevi perveniret; quas non, Deus immortalis! adhibuerunt artes & machinas, ut tam fatalem errori plagam declinarent! Parùm fuit quòd sancita olim per summum nefas renovarent decreta, quibus Catholici aut excludebantur omni Magistratu, aut veram abjicere Religionem cogebantur: quoniam tam iniquis legibus non tenerentur Regii Sanguinis Principes; instituere placuit, renitente ac repugnante Carolo, novum impii Sacramenti genus ab omnibus, quicumque munus aliquod exercerent, exigendum.

His petebatur insidiis Jacobus, penes quem esse rerum administrationem omnium tanto Britannia commodo Carolus voluerat. Etenim maris praefecturâ fungebatur; praerat Imperator terrestribus navalibusque copiis, primariam in Britannia quinque Portuum provinciam exercebat publici Consilii caput, moderator & arbiter. Exhortuit totus vel ad ipsum infandi Sacramenti nomen Princeps Religiosissimus, & ne pollutus eo posset videri, omnem ultrò volensque Principatum palàm abdicavit.

Laudentur enim verò veteres illi Christiani nominis defensores, qui partam rebus bellicis gloriam, & cuncta victoriarum insignia lubenter ponerent, quibus, nisi ejurato Christi nomine, frui non liceret! An non majus aliquid nostris temporibus orbi Catholico Jacobus exhibuit? Nam qui Episcopales in Angliâ vocantur, Secta his temporibus omnium potentissima, & Regiæ Majestati, ac Familiæ præcæteris addicta, hoc unum Eboracensem Ducem precabantur, ut dissimularet tantisper Religionem, quam amplexus fuerat, donec factionum æstus defervesceret: daret hoc Fratri Carolo amoris pariter & obsequii pignus, ut ipsum honoris gratiâ Protestantium in fana comitaretur: in eo rerum statu esse id fictionis genus ejusmodi, quod Religio Catholica

tholica faciliè condonaret : quod si exorâssent semel ab eo, devovebant se totos Jacobi commodis, & vel vitæ periculo certam ipsi ad imperium viam afferebant.

Hic verò Jacobus, *Tamen non faciam*, inquit, *neque hoc pretio vel publica illa munera, quibus jam exspolior, vel triplicis Coronæ, quod me contingit, decus bene redemptum putem!* Veritus nimirum cum prisco illo Judaicarum legum vindice Eleazaro, ne, si Religionis in causâ sinceritati defuisset, vel calumniam ipsi Religioni, vel Religionis cultoribus offensionem pareret.

Quanquam, stetit hîc utinam factionis hæreticæ vis ac furor! Ecce oppugnatur fides & obsequium Religiosi Principis, & metuendæ Regis ipsius in vitam conjurationis, quæ feritur à Catholicis conflata, tanquam auctor accusatur.

Itâne verò tam futile, tam impudens, tam incredibile calumniæ genus inveniat fidem! Invenit tamen, Auditores, aut invenisse saltem visum est. Et tu, Carole, qui Fratris animum unus omnium optimè noveras; quem probâras toties tam obsequentem, tam cupidum tui, tam amantem, etiam hoc credes? Absit hæc labes à Caroli memoriâ, Auditores! doleamus potius Principis infortunati vicem, cui in tantâ temporum calamitate, unus hic servandi Fratris modus relinquitur, ut, ne omnem derogâsse calumniæ fidem videatur, in Flandriam jubeat Fratrem exulare. Exulabit quidem Jacobus, Auditores, sed ut, postquam confutata calumnia, suâ in Regem ac Fratrem palàm approbatâ fide, unius Religionis servatæ reus censi possit.

Tamen heu! dum abis, sinceri gregis Pastor ac Patronus, interim desertas in oves immanis luporum furor desævit, tantò acrius, quantò ægrius tibi sferit ignosci; manat undique sanguis innoxius & cruenta passim cædes exoritur.

Quan-

Quanquam, ne doleas; quandoquidem innocentes illæ victimæ non dolent; felices imò, dum tibi Religionis vindici, dum Religioni ipsi viriliter opperunt. Tuquæ, ô Societas Jēsu, funestissimæ illius tragœdiæ pars non minima, gratulare tibi! Sors hæc tua est, ut quacumque terrarum in parte Catholicum in nomen bellum insurgat, prima Religionis victima semper occumbas.

Verùm, Auditores, qui lætus ac triumphans, ubi Religionis causa posceret, è Britannia decesserat, non timuit, vel capitis discrimine, regredi illuc, etiam non revocatus, cum eadem Religio postulavit. Gravem in morbum Rex Carolus inciderat; adfuit ex improvise periclitanti Fratri Jacobus, ut, quem noverat Catholicæ Religionis cupidum & amantem in sinu, publicum ab eodem cultum exoraret. Nec frustra; recreatus Fratris præsentia, qui se moriturum crederet, Rex Frater, & de Hæresi deponenda serid admonitus, repellere primùm magno omnium stupore hæreticos Episcopos, qui ultima Lutheranae sectæ Sacramenta moribundo impertituri venerant. Mox cum accersendum quantocyus Catholicum Sacerdotem Jacobus adjecisset, non abnuere quidem Carolus, sed conversus ad Fratrem, & ambabus eum astringens ulnis, *Heu! mi Frater*, inquit, *quantam tuum in caput Sacerdos ille procellam excitabit!* Hic effusus in lacrymas Jacobus, quas amor, quas Religio & mixtum utrinque gaudium eliciebat: *Esto securus mei*, subjecit. *Felix ego, mi Frater, id si totius effusione sanguinis prestare tibi officium possim.* Convaluit demum ex eâ ægritudine Carolus; ac si, conversis deinceps in meliora studiis, Catholicæ Religionis in gremio mortuus est, tam expetitam bonis omnibus mutationem piæ Jacobi sollicitudini gratulemur.

At quò felicius Religioni Jacobus adlaborat, eò gravius asperare eorum animos, qui nihil tam me-

tue-

tuerent, quàm Catholici Principis imperium experi. Ergo inflammari novus in eum furor, nova invalescere conjuratio, cujus vim eludere denuo nisi salubri fugâ non possit. Gratias tibi, Deus immortalis! qui Jacobum in Scotiam deduxeris, unde quietem toti Imperio, atque tranquillitatem accerferet. Illic enim placatos magis & sibi devotos obsequium in omne nactus animos habuit, unde perniciosi malevolorum consiliis mederetur. Mox partim absumptis vario temporum fato metuendâ conjurationis principibus, partim repressâ legum ac Regis auctoritate, rebellium pertinaciâ, ita conversa tandem in Jacobum studia sunt, ut, quam fenserat apud Scotos, benevolentiam populorum, eandem Londini pariter experiretur.

Igitur dum nihil de suo in Religionem studio remittit Jacobus; dum ejusdem commodis ac gloriæ totus infervit, dum tuendi Catholici nominis causâ, nullo vel amittendo Regni, vel subeundâ mortis periculo deterretur; ita viâ est Religio vicissim parâ Jacobo referre gratiam, sedare turbas ac seditionum tumultus compescere, denique sic in omnium animis pristinam Eboracensis Ducis admirationem, & sopitum amorem suscitare; ut mortuo non ita multò post Carolo, conspirantibus populorum votis, Britannicum imperium capefferet. Nunc imperio potitus, quàm nihil metuerit, ut eandem in Angliâ Religionem promoveret, altera Orationis parte videamus.

II. PARS.

Quantis & quàm variis hominum animi obnoxii sint motibus, ubi semel, vel obsequii vel Religionis jugum excussere, turbulenta Britannia tempora, de quibus huc usque diximus, Auditores, satis demonstrarunt. Ac nisi superior quædam

dam & humanis viribus atque consiliis vis major tot infanis tumultibus compescendis ipsa præfuisset, in tanta rerum perturbatione, quæ pars quietis aut tranquillitatis ulla potuisset expectari?

Cùm incensi pertinacibus odiis, æmulationis Religionisque stimulis incitati, Eboracensis Ducis in perniciem omnium animi furerent; cùm solennibus tot decretis universi penè ordines ad excidendum legitimæ jus successionis conjurassent; quis sibi persuasisset, tam repentinam, tam inauditam fore populorum conversionem, ut eundem non ita multò post conspirantibus votis ad solium evherent, & quàm fuissent olim ad nocendum projecti, tam propensi ad obsequendum videri vellent.

Retexamus diligentius temporum istorum memoriam, Auditores, & quàm felicibus auspiciis Jacobus II. inierit Regni primordia, recolamus. Erit hoc saltem leve subsecutæ mox calamitatis solatium, & quàm immeritò optimum ea Principem afflixerit, vel ad ipsos auctores mali licebit provocare.

En offert se mihi recenti plena gaudio Britannia, & obviàm novo Regi gratulabunda procedit. Audio festos undique Populorum plausus, & latus tergemini Imperii acclamationes, quæ non tam dedit officii ratio, quàm subitus veri amoris impetus elicuit. Video concurrentes invicem Imperii totius ordines, & suum decretis solennibus obsequium, fidem, studia, benevolentiam testantes. Ipse Senatus ille, tam infensus non ita pridem Eboracensi Duci, tam pertinax odiorum, tam juratus designati Principis in ruinam, suâ sponte rescindit acta, leges abolet, nec contentus modò vetera Regum jura sancire denuo Jacobi in gratiam, nova etiam subsidia, florentes media in Pace exercitus, & summam rerum omnium potestatem impertit.

Qui

Quibus in rebelles animis, si quæ supersint adhuc veterum factionum reliquæ, deserviunt! Deficit ab obsequio Comes Argillæus*, & inquietæ mentis impotens seditiosa movet in Jacobum arma! Agitur illico proditæ Majestatis reus, & à Dunbartone, quem nulla unquam fortunæ calamitas, vel à Deo, vel à Rege suo sejunxit, victus, fugatus & captus, dignas rebellionis pœnas capite persolvit. Exclusus Regno, cui dudum inhiârat perperam, Dux Monumetensis,* & obsequendi impatiens rebellionis vexillum erigit! proscribitur pariter, & nulla regii Sanguinis, quo se indignum exhibuerat, habita ratione, eodem supplicio afficitur. Extinctis seditionis ducibus, alta pax, quies ubique, summa tranquillitas.

Ad hanc, qua Jacobus securo fruebatur in otio, populorum suorum benevolentiam accedebant honorifica de eodem gentium exterarum judicia, & constans apud omnes opinio altæ cujusdam invictæque mentis, quam nulla rerum temporumque varietas inflexerat. Hunc Galli viderant, & primæ ab ipso militiæ rudimenta suspexerant; senserant Batavi fulminantem, comitem laborum ac socium Hispani extulerant; Belgæ stupuerant exulem, atque inter iniquæ fortis ludibria constantem & erectum. Denique hanc apud omnes nominis sui famam Jacobus exciêrat, ut regnantem jam nemo amicum non ambiret; nemo experiri vellet hostem; Europa tota controversiarum Judicem atque arbitrum expeteret.

Felicia sanè tempora, Auditores, & certa diuturni, fortunatique Principatûs auguria, nisi Jacobus de sua salute vel gloria minùs, quàm de Religionis securitate aut etiam incremento sollicitus extitisset!

Non

* *Le Comte d' Argil.* * *Le Duc de Monmouth.*

Non expectavit ad hæc usque tempora, ut, quo esset Catholicam in Religionem animo, apud omnes testaretur: neque tam felix dominationis initium dissimulationis ullius fructus fuit. Sensit Anglia tota, quàm cupidè ambierit videri statim, qualis esset: tulisset ægrè Regem se prius, quàm Catholicum profiteri.

Hactenus domesticos intra parietes pietati suæ morem gerere Jacobus satis habuerat; ubi cepit imperium, palam & omnium in oculis divinis rebus assistit. Castra metari placet ad Londinum, & umbratili palæstra copias exercere; medlis in castris jubente Rege erigitur ædicula, & per dies singulos augustum in ea Missæ Sacrificium sæpius iteratur. Vivebant latebris abditis quotquot in Britannia Catholicam fidem colerent, & sacra celebrare mysteria cryptas inter & recessus subterraneos rogebantur; securitatem attulit pia Regis sollicitudo, neque ullam in Regno toto voluit esse partem, quæ consecrata Religioni veræ Sacella non haberet. Atque hæc fiebant cuncta Hæreticorum in conspectu.

Quid jam memorem, ut Londini solitam renovari quotannis Romanæ sedis in odium impiam consuetudinem sustulerit: ut per Oratorem suum debitam Pontifici Maximo fidem & obsequium devoverit: ut ipse Legatum ejusdem Pontificis intra regie urbis mœnia solenni exceperit apparatu, & in eo Christi Vicarium venerabundus agnovit. Tum enim verò respirare primùm Religio visa est, & ad insolitam obsoletæ jam diu pompæ celebritatem, melioris deinceps conditionis expectationem apud se suscitare.

Quamquam neque hæc ipsa, quæ Religioni tam fausta videbantur, Regni primordia, Jacobo placebant satis, nisi perpetuitatem adderet, & gementem adhuc sub iniqua servitute Religionem io-

Z

latio

latio saltem aliquo recrearet. Quippe vigeat semper nefandi illius Sacramenti vis & auctoritas, quæ Catholicos ab omni magistratu prorsus arceret, nec liberam profitendæ, quam colerent, Religionis facultatem pateretur. Hoc erat abolendum ante omnia Religionis probrum ac dedecus, hæc eluenda labe; abrumpendi fatales illi nexus, qui captivam retinebant.

Hoc vidit pro sua sapientia Princeps religiosissimus; at neque difficultatem operis, neque periculi magnitudinem, si tentaretur, non vidit. Meminerat, ut nuper aggressus idem Carolus refrigerare postmodum, quod perfecerat, coactus fuisset; noverat Anglorum indolem, & periculo didicerat suo, ut amans illa novitatis, ut à benevolentia statim ad odium, ab obsequio ad rebellionem, ab amore pacis, ad turbas seditionesque properaret: intelligebat nondum sic extinctas rebellionum faces, ut metuendum non esset, ne inflammarentur denuo, si quo Religionis obtentu prætexere defectionem possent. Tamen non revocatur his terroribus, nec à promovendis Catholicæ fidei rebus religiosissimus Princeps absistit.

Faceffant reconditoris politicæ sectatores; aut qui rerum causas eventu solo metientes Jacobum accusarunt, quasi intempestivo Religionis studio perturbasset Angliæ tranquillitatem, & res suas in extremum discrimen adduxisset, suæ ipsius calamitatis auctor & artifex. Nam quid egit Auditor, quod facere Catholicum Principem non decebat? quid molitus est non sapienter & regie auctoritati non consentaneum? quid suscepit tempore non suo? Scio equidem, quot texere fabulas, quàm iniquos dissipare rumores, quàm inanes inferre calumnias non erubuerint, aut expertes Religionis Politici, aut pertinaces hæreticæ pravitatis cultores. Verùm exuamus hinc præjudicatas opiniones; afferamus æquos
ad

ad rem cognoscendam animos: & quoniam difficili ac lubrico versamur in loco, qui viros, nec illos omnino improvidos fallere; atque in errorem inducere potuit, immoremur in eo tantisper, Auditores, & ad severius examen singula quæque revocemus.

Nihil licebit Regi Catholico facere, ut Religionis suæ, vel securitatem præstet, vel conciliet gloriam, vel incrementum procuret? Licuerit impunè cæteris Angliæ Regibus, quicumque post Henrici VIII. tempora imperium tenuerunt, varias tueri Hæresum Sectas, quas adamârunt, easdem ornare privilegiis, cumulare immunitatibus, certo adversus rerum mutationes subsidio easdem præmunire? Una Religio vera, contempta, afflictâ, servitutè turpissimâ mancipata, nullum in Principe studio, sissimo sui cultore præsidium, nullam defensionem inveniet? Proh! sancta pietas, hūcine recidisset calamitatis; ut deterior tua, quàm Erroris conditio foret? ut quod contra te hæretici Principes moliri non dubitant, idem tui in gratiam Catholici Reges aggredi prohibeantur.

Quid si Religionis commoda, tam conjuncta necessariò cum auctoritate regiâ viderentur, ut non posset desereri Religionis causa, quin contempta Majestas jaceret? Abolendum censet Princeps suæ voluntatis arbiter sacramentum impium, quod nuper, quod tumultuoso in conventu, quod reclamante semper Caroli Regis auctoritate sancitum fuerat. Refigere statuit decretas in eos pœnas, qui illud non ederent. Placet gaudere Catholicos eâdem profitendi pii cultûs licentiâ, quâ cæteri errorum quorumcûmque cultores impunè fruerebantur. Erat eorum aliquid, quod Regum Angliæ jus excederet? quod ad tuendam Principis auctoritatem non pertineret? quod, si negligeretur, Majestatem ipsam in probrum ac dedecus non adduceret? Dicant illi, & de concessa Regibus Angliæ potestate judicium ferant.

rant, qui cuncta pro arbitrio moderantem hodie patiuntur; qui sanctissima Imperii Britannici fundamenta convelli tam obsequenter ferunt; qui legitimum successionis ordinem perturbari ac labefactari, tam æquis animis intuentur.

Agnovit sanctius Consilium de rebus ad Regnum pertinentibus, cum Edimburgi, tum Londini constitutum plena æquitate Jacobi II. decreta, jusque Regium palam ac solenniter confirmavit. Accessit nemini Anglo inficianda confessus illius auctoritas, qui de potestate, quam habent Reges ad abrogandas pœnas, cognoscit. Parum etiam illud est; ne quis ultra scrupulus, nequa superfit offensiois occasio, defertur, jubente Rege, tota controversia ad Cognitores Angliæ duodecim, quorum est Regem inter & populum decretoriam ferre de legibus sententiam: ac licet contrarias penitus Religioni Principis, quotquot erant illi, partes sequerentur; tamen vel in propriâ causâ sinuntur esse Judices: disceptatur utrinque jus eâ cum diligentia & attentione, quam res momenti hujus ac ponderis postulabat; & unanimi tandem omnium suffragio causam Rex obtinet. Rogo vos, Auditores, quid hinc actum temerè, quid sine maturo prudentique consilio, quid alienum ab æquissimis justæ moderationis legibus susceptum est?

At alieno tempore Religionis securitati ac gloriæ Jacobus adlaboravit: maturavit citius, quam par fuisset, studium illud, quo flagrabat: debuisset expectare molliores aditus, & opportuna magis rei perficiendæ tempora præstolari. Ecquod ergo potuit esse tempus idoneum magis ac commodum? quæ opportunior occasio? quis rerum status optabilior fuit, quam ille, cum ferventibus totius Britanniaë votis, Regni habenas capevississet? cum recentibus victoriis ac triumphis, populorum oculos pariter atque animos raperet in admirationem & amorem

amorem sui? cùm devotissimum in iis omnibus, quæ vellet, aut cuperet, obsequium experiretur? cùm multis etiam in rebus, quas tentârat Religionis in gratiam, gratulationes omnium Ordinum ac plausus excepisset? cùm altissima domi forisque pace frueretur? cùm Catholicos totius Europæ Principes natus esset admiratores rerum suarum, cupidos omnes & amantes sui, eosdémque polliceri sibi meritò posset suorum in Religionis causâ consiliorum adiutores? Quæ demum feliciora Jacobo videri poterant ad promovendam Religionem incitamenta, quàm illa, quibus singulari divinæ Providentiæ beneficio, natus parenti regia in domo filius, tantò gratior, quantò minùs expectatus; quem non tam hæredem fore Regnorum suorum, quàm suæ in Religionem pietatis imitorem sedulum, & rerum à se gestarum acerrimum vindicem, ac defensorem gratularetur?

Dicam ego quod sentio, & quod nemo vestrùm inficiabitur; si Jacobus cupidus magis salutis suæ, quàm Religionis visus fuisset; si servire ambitioni, quàm Deo maluisset; si in tantâ rei bene gerendæ facultate, difficilioris temporis obtentu, Pietatis afflictæ partes tueri distulisset; loquamur apertius, Auditores, si nulli addictus Religioni, fautor omnium ambiguus varia errorum monstra, quæ gentem unam tot in sectas dividunt, solers ac blandus adulator coluisset; qui Jacobum olim incusârunt, & ipsius etiam hodie memoriam vellicant; iidem illi eximiam tanti Principis providentiam, sagacitatem incredibilem, imperviam humanæ menti politicæ artis scientiam extulissent. At quoniam propriâ salute contempta custodem se Religionis rigidumque propugnatorem exhibuit, vix ignoscitur; ac, si creditur quibusdam, sua meritis fata debuit videri. Tamen quid aliud objici Jacobo, quid aliud criminis loco imputari possit?

Z g

Hoc

Hoc erat ergo, Deus immortalis, cur Religio-
nis veræ, ac justæ dominationis ofores, seditiosos
ubique sermones, querelas, obirectiones fere-
rent; sollicitarent populorum fidem, spes fove-
rent malevolorum hominum, injurias apud ex-
teros Principes calumnias dispergerent? Hoc erat,
cur clandestina consilia, dolos, insidias, proditiones
machinarentur? evocarent in subsidium op-
pressa Religionis ac libertatis, vim & arma ambi-
tiosi Principis? in regnum in libertatem,
in vitam Regis optimi conjurarent? Hoc erat ergo,
cur subditi legitimum in Principem, domestici in
dominum beneficentissimum, Liberi in parentem,
Generi in Socerum, Catholici Principes in asserto-
rem ac vindicem Catholicæ Religionis, apertis ju-
ratisque odiis commoverentur, & insurgerent?

Sinite me, Auditores, præterire silentio istam
temporum perturbationem, cum desertus,
à suis, proditus, ejuratus, pulsus, ejectus, e-
tiam non illæsus hoc gratiæ locò Jacobus co-
geretur apponere, quòd furtim & per latebras
cum desolatâ familiâ, Regiâ Conjuge, & quinque-
mestri puero per fugium quæreret.

Hic apparatus, hæc pompa, hoc triumphus ge-
nus vindici, assertorique Religionis debebatur?
Quamquam nescitemur altiùs divina consilia; ve-
neremur Dei potiùs omnipotentis manum, seu par-
cat, seu plectat, ex æquo bonam. Doceat exem-
plo Jacobus, quàm placidum, quàm docile, quàm
devotum rebus in miseris supremæ voluntati affere
obsequium oporteat.

Tu scis enim verò, cordium inspector ô Deus,
num ulla mutata sortis calamitas constantem, tibi-
que addictum uni, fortissimi Principis animum infle-
xerit; num questus unquam sit graviùs, num suorum
fidem iocusarit, num damnarit hostem duriùs; imò
num constantes & assiduas tibi pro ipso per reliqu-
um

um vitæ tempus preces non obtulerit: Num ullam aut offensionis, aut iracundiæ, aut ægritudinis notam ostenderit; num pœnituerit ipsum defensæ pro virili parte Religionis, aut redemptam bene, triplicis coronæ jacturâ, quam navârat ipsi operam, non putârit?

Ibat fatis major, & erecto resstantem contra fortunam vultu, ibat veterem ad hospitem, constantem ad amicum, unum Europâ totâ Religionis vindicem & afflictæ defensorem Majestatis Ludovicum. O qui complexus, & quàm sincero mixta luctu solatia! Cômunes curæ, sollicitudo par, eadem utrinque studia prodibant, quoniam idem utrumque Religionis amor incendebat. Mirabatur in Jacobo Ludovicus eximium oppressæ pietatis propugnatores; Jacobus in Ludovico magnum rerum, quas fecisset ipse, auctorem agnoscebat. Ejectum, exulem, afflictum Religionis studio Ludovicus venerabatur; victorem & de errore triumphantem Jacobus suspiciebat. Suas ultrò palmas ac laureas Ludovicus cum Jacobo dispertiiisset; suâ contentus sorte Jacobus rerum gestarum gloriam Ludovico non invidebat. O pietas, ô amor, ô felix contentio, quâ par in vincente laus, par in victo triumphus videri possit! Sed ad tertium gloriosæ vitæ caput properemus, & quàm ultrò Jacobus contempserit, quæ recuperare fortiter est aggressus, ultimâ Orationis parte videamus.

III. P A R S.

Si Regni administrandi solutus onere, vitæ ad arbitrium componendæ facultatem Jacobus habuisset, fortè rerum humanarum expertus fastidia, & cœlestium amore captus, tam sponte melioris fortunæ expectationem despexisset, quàm fortiter adversantis injurias perferebat. At meminerat natum se Regem, & ad tuenda natalium jura obliga-

ri; accedebat Religionis veræ caritas, pro quâ tuendâ pulsus è patriâ & ejectus exularet: dolebat esse illam sine tutore ac vindice: urgebat etiam stimulabâque generosum optimi Principis animum sua Britannia, quanquam debitæ fidei immemor; non poterat tot malorum conscius, quæ legitimo Principe viduata pateretur, ipsius calamitate non commoveri.

Hinc perpetuâ stare veluti in speculâ, & rei bene gerendæ occasionem præstolari: hinc erectus ad omnes auras, attentus ad omnes ramusculos nulli unquam rei deesse, quæ favere consiliis possit. Paratur à Ludovico classis florentissimo instructa comitatu, quæ navales Bataviæ & Angliæ copias simul oppugnet; advolat Jacobus: verum redire cogitur infecta re: redit; hoc incusans unum, quod præsentia suâ individua Gallicæ virtutis comitem victoriam avertisset.

Audit non ita multò post partem Britannici imperii non ultimam perstitisse in obsequio, & pro legumæ potestatis defensione cepisse arma: adest facti Principem Tirconellum, virum, de quo merito dubites, an suâ in Religionem pietate, an constanti in Regem fide sit illustrior: quid Jacobum properantem ad suos retardavit? non hyemis incommoda, non difficultas viarum, non locorum interceptio, non incertus rei eventus detinuerunt.

Illuc cum accessisset fideli periculorum comite ac socio Barwico Duce, * (quem non tam regii sanguinis splendor, quàm invictum animi robur & singularis quidam Regis amor ac reverentia commendant) quid omisisse visus, quod potuerit perterritare? quod fuit periculi genus, cuius subire aleam pertimuerit? hoc uno culpandus, si liceret, quod prodigus salutis præter modum regio capiti non factis consuleret. Quæ pugnae vis, æstusque fervebat

* Duc de Barvis.

acrior, hæc ruebat imperterritus ; per infesta periculis, proditiõibus, insidiis loca discriminis ipse conscius discurrebat : nullã victus rerum adversitate avidum usque pugnandi animum præ se ferebat. Atque hîc peramanter monenti cuipiam, sibi ipse ut parceret, & ad meliora tempora, tam carum caput reservaret, aurea illâ voce silentium imposuit: *Felicem me, inquit, si vel ipso vitæ periculo tam fidelibus amicis incolumem patriam restituerem!* Ubi verò cedendum esset temporibus, neque spes ulla promovendæ ulterius rei, quam susceperat, relinqueretur; tum ita reditûs sui consolabatur acerbiter, ut ad tentandum rursus intercepti operis periculum alacrior accederet.

Revocate animis, Auditores, cùm interjecto paucorum annorum spatio, certi, ut aiebant, ex Angliã rumores retulissent, ita comparatos esse multorum animos, ut, si Rex præsentem se sisteret, revocaret populos ad obsequium; an retardari vius est priorum temporum adversitate? Continuo adornari classis, exercitus comparari, ipse fiducia plenus concubiã nocte proficisci. Nos interim prosequi votis abeuntem, extollere palàm magnanimitatem invicti Principis, frequentare templa, donis aras cumulare, & lætum incœpti feliciter operis exitum expectare.

Aliter visum tibi est, ô Deus! rursum intercidere placuit Jacobi consilia, & quem ad præstantioris cujusdam imperii decus vocabas, hunc quidquid terrenum est ac fragile, spernere voluisti. Sensit Jacobus intercludi deinceps Regni recipiendias: obfirmari magis rebellium pertinaciam: languere in Catholicis Principibus præpeditum privatis contentiõibus Religionis studium: totum belli pondus unum in Ludovicum incumbere, quodd oppressæ Religionis & afflictæ Majestatis tuor ac vindex existeret. Igitur cùm obstrui ab Angliã omnes

omnino aditus, cum spem præsidii in Catholicis Principibus nullam cerneret; cum ipse prægravare ultra Ludovicum vereretur, qui hospitium hæcenus, inviolatam fidem, opes, paratas semper, cum res ferret, copias suffecerat; in iis rerum angustiis fecit Rex sapientissimus, quod prudentia, quod amor, quod Religio suggererant; & solutum se ratus eâ molestiâ, quam restituendæ fortunæ cura pepererat huc usque, solam hanc habere deinde, ut repressâ recuperandæ antiquæ sortis cupiditate, unâ beatus Religione viveret.

Dedite jam ergo, per me licet, quod ipse dediscere voluit, spes fluxas ac caducas, quas meliora suscitare tempora potuissent. Tamen an erit obliviscendus suo in otio Jacobus? Esto spes amputatæ fuerint antiquæ sortis; at melioris cujusdam fati certam Deus expectationem faciebat. Non habuerit ultra triumphandi in terris facultatem, & currentem ultra ad victoriæ gloriam Deus represserit; at nobilior ipsum manebat de vitiis & erroribus triumphus. Nulli superfuerint hostes quos aggredi, quos debellare posset; at erant amici quos aut confirmaret in Religione, aut eidem manciparet. Atque hic fuit reliquo vitæ tempore Jacobi labor unicus: in quo tam feliciter processit, ut novo Religionis studio quotidie succenderetur magis ac magis; nihilque sub vitæ finem Religionem præter, aut ea, quæ ad ipsam pertinerent, videretur æstimare.

Extollebat quidam coram ipso rerum illarum magnitudinem, quarum ultra jacturam Religionis causâ fecerat: *Imò, subjecit Princeps Religiosissimus, dic me fecisse lucrum ingens, qui explicitis Regni pretio, servire, ut par est, Deo didicim.*

Id verò, quod jam sum dicturus, vereor, Auditores, ut obtineat fidem, tam purum defæcatumque utilitate propriâ Religionis amorem præ se fert,

tam

tam singularem rerum humanarum contemptum. Cùm dolerent Regis in præsentia quidam è familiaribus miseram in Angliã sub novo principatu Religionis conditionem; híc suspirans graviter Jacobus; *Hoc ipsum est, inquit, Amici, quod me grauat; nam si, ita providente Deo, futurum certò intellexissem, ut ille, rerum qui potitur, plus ad Religionis gloriam, quàm fecissem ego, profuisset; cessissem ipse solio, & meliori moderandas regni habenas permisissem.*

Quàm eximium & illud fuit sui in Religionem studii testimonium, cùm affixus lecto, & amisso penè vocis usu subeuntem summi Pontificis Nuncium aspexit: tunc eum resumptis quasi viribus & novo afflatus robore; *Te te, inquit, lubenter afficio, restem futurum, quàm sincerus ego Catholica Romanaq; fidei cultor emoriar.*

Ex illo tam ferventi Religionis studio prodibat pius ille cultus & singularis reverentia, quam sacris mysteriis afferre consueverat. Egregium enim verò non hominibus modò, sed Superis ipsique Deo immortalis spectaculum, cùm profusus in genua Rex pius, compositis ad modestiam oculis, fundente fecitiam in vultus & ora divinæ caritatis igne, verendis præsens mysteriis assisteret.

Hinc ardens illud orationis studium, & incredibile quidam secessus ac solitudinis amor, quo fiebat, nunquam ut lætior & alacrior videretur, quàm cùm dies solidos sacris in precibus, aut rerum æternarum contemplatione traduxisset. Hinc crebri frequentesque, quos etiam cum Aulicis conferebat, de rebus ad pietatem Religionemque pertinentibus sermones: hinc fatietas, fastidium, despicientia rerum cæterarum.

Cùm referrentur ad eum, uti fit, luctuosis bellorum temporibus, Regnorum perturbationes, æstus populorum; cùm jactarentur felices armorum eventus; *Itanc verò tam cupidos in frivolis, ex-*
cla-

clamabat, *tam alacres esse mortales! felicem me, quem Deus hæc omnia despiciere erudierit!*

Magna sunt ista, Auditores; ac, si quis vividum illum generosæ mentis ardorem, quo Jacobus in omni vitæ parte ad magna quæque exarserat, conferre voluerit cum illâ animi tranquillitate & rerum omnium contemptu, quem idem extremo vitæ tempore præ se ferret; is intelligat, non hæc ab eo facta fuisse desperatione rerum suarum, aut stupore; sed patientiâ & æquissimâ, quam, docente Deo, facere didicerat, rerum humanarum æstimatione.

Quamquam nec ille vividæ mentis ardor iners in Jacobo vel otiosus elanguit: sed ad meliora conversus eò erumpebat maximè, ut in Aulicis Religionis studium amorémque probitatis aut induceret, aut inductum jam tueretur ac promoveret.

Excipite morientis vocem, & de incredibile, quo flagrabat, Religionis promovendæ studio judicate. Aderat paucis ante Regis obitum diebus frequens Aulicorum corona; cùm Pertensem Ducem * jubet accersiri. Dubitavit nemo, cùm evocaretur junioris Principis moderator (Vir tantò dignior eo munere, quò politioris ingenii gloriâ studiisque amœnioribus clarior est, & gravioribus in rebus ejusdem exercitata probitas, constans fides & sincerus amor Religionis) dubitavit, inquam, nemo, quin parens optimus præcipere vellet quidpiam, quod ad filii institutionem pertineret. Imò, *Rursum admone, quem nôsti*, dixit (nobilem Anglum indicans, quem inanis quædam honoris ratio ab amplectendâ Catholicâ fide jam diu retinebat,) *rursum admone, non patere Cælum ambitioni, sed hu militati Christianæ.*

Quàm providus idem ac sedulus, ut in domesticis pietatem aleret, probitatem tueretur, virtutis amorem inspiraret! Extant adhuc, & ad perennem

* *Le Duc de Pertes.*

reli-

religiosissimi Principis memoriam conservabuntur exarata propriâ ipsius manu quotidianæ vitæ cultusque pij documenta pariter atque instituta, quorum accuratam per se ipsum rationem ab ijs exigeret, quos ad comitatum admittebat.

Quantò etiam cupidius idem illud Religionis studium, illum pietatis amorem tenerrimum ambiebat in familiâ suâ promoveri. Felix quem Deus saltem hac parte votorum omnium, competentem effecerit!

Naclus in Mariâ Atestinâ, * sponsam sponso simillimam, quàm dulce hinc hausit in toto calamitoso vitæ cursu solatium! Iisdem, quibus Jacobus & ipsa stimulis incensa, dum ille Religionis in gratiam tam multa viriliter præstaret, ipsa, inquam, ferventissimas inter preces opem de Cælo præsidiumque accersebat. Ille subibat ultro discriminis cujuscumque fortunam, Religioni dum prodesset; ipsa dignitatis minùs sollicita, quàm Religionis, alterum votis omnibus assequi voluisset, alterum perdere non metuebat. Ille, cuncta cum amitteret, beatum se reputabat, qui servasset sibi Religionem: ipsa beatam se multò magis credere, quæ sponsum cum Religione retinebat.

Vidisses coactam regnis cedere, suo profugam in solo, exulem, odiis, furoribus perduellium civium obnoxiam, uni timentem puero, quem gestabat in sinu, non ingemiscere muliebriter, non perfundi lacrymis, non queri fortis acerbitatem; sed sui competentem usque, patientem, & ad exemplum conjugis constantem & erectam vix pristina; fortis meminisse. Fortunata, Superi, concordia! dulcis animorum consensus, quos non tam conjugale vinculum, quàm Religionis utrinque nexus vincirent!

Quàm suave erat, Auditores, sanctissimis amantibus ita retractare simul præteritorum me-

* *Marie D' EST.*

mq-

moriam, nihil ut fecisse pœniteret, quodcumque Dei causâ fecissent: idem in se invicem animi robur, parem in calamitate constantiam experiri: consolari se posse eâ conscientia, quod perenne universo orbi documentum relinquerent, quanti Deum, quanti Religionem fieri oporteret!

Sed quid ego ista perfequor? imprudens fortasse, qui arcana isthæc mysteria vulgare palam non dubitem; aut durus, qui rerum istarum commemoratione acerbissimum amantissimæ conjugis desiderium videar renovare. Parùmne fuit igitur, quod gravissimæ ægritudinis vim omnem in se ipsâ acerbitatẽque persenserit? quod diu nocivumque jacentis affixa lecto perire sibi quotidie suavissimum vitæ solatium viderit? quod Jacobus teneros inter piæ conjugis amplexus emoriens immedicabilem ipsius pectori plagam fecerit? Ignoscamus pio dolori, Auditores, neque præsumamus aliam afferre medelam ab eâ, quam ipse Rex exspirans abstergensque Reginae lacrymas adhibuit. *Sponsa, vide, inquit, ne fleveris; potius ab! gratulare sponso quem amas, & optatam tot laborum metam contingenti applaude.*

Neque felix minùs in Filio pater, quàm conjux in conjugè Jacobus extitit. Verùm quàm diligentis culturæ fructus fuit animus ille, quem Rex junior exhibet, solidæ jam confirmatæque Religionis capacissimus! Ut ab ipsâ statim infantia non destitit teneram erudire mentem ad ea, quæcumque ad institutionem Catholici Principis pertinerent! ut extremo vitæ suæ tempore, cum adesse sibi finem præsentiret, eadem repetebat frequentius & acrius inculcabat!

Quamquam nihil erat, Princeps religiosissime, quod eadem filio instillares moriens, quæ vivens tam sæpè inculcaveras. Nihil erat, quod ultimos inter amplexus & tenerrimas utrinque lacrymas iterum

iterum atque iterum admoneres, Deo fidelis ut viveret, animæ salutem ante omnia procuraret, Britannia totius regna Religionis studio posteriora duceret. Nihil erat, quod Ludovicus ipse, à quo Rex appellatus & filiorum in numerum adoptatus est, digna Religionis vindice & assertore documenta novo Regi adjiceret. Excepit illa quidem venerabundus, ut decebat, descripsit eadem fideliter, & conspersit lacrymis, & ad novum Religionis tuendæ & amandæ incitamentum olim tractanda conserva- vit; nihil erat, inquam, quod de Filio pater tam sollicitus viderere; habes in te ipso certum pignus ac monumentum, quàm non degenerem tuæ pietatis ac Religionis hæredem habiturus sis. Quandiū meminerit ereptum se fuisse Patriæ de sinu etiam infantem, & pio parentis studio in exteram regionem advectum, ne quo se erroris contagio macularet: quandiū recurret animo, quot procellas, quot bella, quot discrimina pater fortissimus Religionis causâ sustulerit; quandiū cogitavit parentem floruisse quondam apud suos rerum à se gestarum gloriâ, benevolentiam populorum, potentissimi Regni tranquillitate; & ab eodem isthæc lætissimæ fortis adjumenta uni Religionis studio fuisse ultrò posthabita; quantum inde ad fovendam seculò tuendamque Religionem adjumentum experietur!

Securus morere de Filio pater, & quoniam, ut æquum est credere, recepta jam Cælo beata mens amplissimo virtutis præmio perfruitur (quam enim, aliam sibi mercedem vindicent patientia in laboribus, in adversis constantia, in Deum fides, in suos amor, in hoïtes caritas, sui despicientia, peccati odium, vel levioris expers maculæ conscientia, & reliquis virtutum comitatus, quibus tuâ, quàm longa fuit, vita traducta atque exercitata est) quando, inquam, jam recepta Cælo est beata mens; ac, si publicæ populorum famæ credimus, jam exorari

te

te pateris, jam præsens votis ades; ex illâ, quam incolis, cœlesti patriâ aspice dilectam sobolem, & fausta, quæ jam præ se fert, virtutum primordia tuere & confirma.

Memineris etiam initæ tot abhinc annos cum Ludovico necessitudinis, & hospitii veteris recordare. Precare tam caro capiti longam temporum seriem, quibus mederi bellorum incommodis, & Christianam propagare orbe toto Religionem possit.

Neque obliviscêris, pro solitâ pietate, fidos illos, quorum hic ego plurimos intueor, laborum tuorum socios, periculorum comites, constantes amicos; qui, ne aut avitam Religionem, aut debitam suo Principi fidem violarent, opibus fortunisque spoliati commune tecum exilium ultro subiêre. Tu jam providebis illis meritam fidelis obsequii mercedem, quam olim doluisti tam sæpè rerum in angustiis rependi à te non posse.

Tua denique Britannia, quam amasti tantum, te commoveat, terra illa olim tam sancta, tam piorum hominum ferax, tam studiosa Religionis. Sentiat illa te non cupidum sui minùs, quàm fuisti, dum viveres. Nôsti unus omnium optimè, & tuo periculo nôsti, quàm luctuoso versetur rerum in statu. Non frustra sit illi ea, quâ vales, apud supremum Numen, gratia: te Regem adhuc probet, tutorem ac patronum; fac ut, mutatis in melius voluntatibus, suum Deo cultum, suam legitimo Principi fidem exsolvat: & quod tibi ipsi non exhibuit, constans ac perenne soboli tuæ obsequium semper impendat.

Habita Anno D. M. DCCI.

FOR.



FORTUNA
HUJUS ANNI
SPES HOSTIUM FEFELLIT,
NOSTRAS SUPERAVIT.
ORATIO V.

Cæcitas esse dicam, an furoris, quòd hostes Gallici nominis non sterili tantum & infructuoso, sed etiam luctuoso penitus atque exitiali bello tandiu delectentur? Excellentissime Sedis Apostolicæ Nuncie Extraordinarie, Illustrissimi Ecclesiæ Principes, Præsides illustrissimi, amplissimi Senatores, Viri omnium Ordinum ornatissimi. Nam si tot abhinc annos, ex quo certatum est utrinque tam acriter, nondum vident, quàm frustra, quanto suo detrimento Galliam oppugnaverint; vix ac ne vix quidem possunt haberi non cæci. Sin repetitis eruditi jam diu cladibus fatalia movere bella etiamnum obstinant, quos furiosos, si non illi sunt, appellemus?

Agite enim, Auditores: vel dum una Gallia totam Europam sustineret armatam, quem fructum armorum suorum hostes habuere? Viderunt illi quidem avulsam sibi, nobis devinctam fuisse arctissimâ sanguinis communionem Gentem illam, quæ ab omni penè Regni utriusque exordio, æmulatione laudis cum Galliâ certaverat, quæ sola lætam nostrarum rerum seriem nonnunquam interpellâta

Aa

quam

quam ipsi adversantem & inimicam nihilominus suspexeramus semper; atque, ut facilis est ab admiratione gradus ad amorem, etiam amaveramus. Senserunt illos in nostras partes ire, quorum in fide atque animo conquiescere inprimis videbantur. Doluerunt, cessante commercio, perire sibi res suas, & exhaustam belli diuturnitate copiam molestissimæ egestati decessisse.

Quid dicam expugnatas urbes, victos deletosque exercitus, perpetuam domi forisque sollicitudinem? Hicine sunt belli fructus, quos Hostes ambiebant? Hæc merces, hoc præmium fuit, cuius gratiâ, Europæ quietem ac tranquillitatem tandiu perturbarent?

Sed quid ego retracto tam vetera, tam vobis nota, tam diligenter à nobis ipsis ex hoc loco non semel decantata? Hæreamus, Auditores, intra breves hujus Anni terminos: vel ex hac expeditione proximâ conjicere liceat, quàm temerè, quàm frustra pergant Galliam laceffere, quos rerum nostrarum gloria & felicitas incendunt.

Namque hic Annus, qui Hostibus tam sterilis & infortunatus, nobis tam ferax & fortunatus effluxit, quàm opportunum visum est ipsis rei bene gerendæ tempus! Nobis quàm parùm aptum ad promovenda nostra consilia videbatur!

Sic enim statuo, hanc fuisse omnino hujusce præsentis anni fortunam, ut spes Hostium & nostras utrinque fefellerit. Sperabant Hostes multa & magna; neque non erat, quòd ad lætiora aspirarent: spe & expectatione exciderunt suâ; Pars erit Orationis prima. Sperabamus pauca; neque revera erat, quòd plura polliceri nobis deberemus; spem omnem & expectationem nostram longè vicimus; Pars erit Orationis altera.

Hoc igitur Anno, vicissim elusi quodammodo sumus, Hostes & ipsi nos Galli: verùm eo discrimi-

ne,

ne, ut errorem illi suum jure dum lugent, nostrum ipsi nobis errorem merito gratulemur. Quæ duo cum desperem tam egregiè tractari à me dicendo posse, quàm res postulet; utinam & ipse feliciter errasse judicio vestro videri possim!

P A R S. I.

Senescit brevi ægro in corde nocendi cupiditas, nisi spe emolumenti aliquâ sustentetur. Hinc quoscumque Gallicæ genti ab omni penè ævo suscitavit hostes tacita quædam fortitudinis, gloriæ, felicitatis æmulatio; ij, sin minus certâ, saltem avidâ semper expectatione pleni ad oppugnandam Galliam accesserunt.

Verùm dicamus, quod res est, Auditores. Hunc Annum fortunatissimæ cujusque sortis artificem sibi spondebat Hostis; & seu meditata solito prudentius consilia, felicius etiam inchoata dicerentur; seu res ipsæ ac tempora ceptis responderent, finendas demum esse hoc anno veteres querelas, Gallorum exitio, palàm jactitabat.

At Anglos imprimis Batavosque incendebat ampla multarum palmarum seges, quas in Belgio præciperent. Cogitate enim verò, Auditores, quo apparatu, quibus viribus partem hanc Europæ longè desideratissimam impeterent. Erumpebat illuc Batavici exercitûs vis omnis ac robur: accelerabant ex varijs Germaniæ partibus coëmpta magnis impensis hominum viginti quinque millia; decem millia mittebant Angli: ac licèt duris admodum conditionibus istud præsidii genus impertirentur, qui Gallicum pariter & Hispanicum commercium Batavis interdicerent; tamen, quis crederet? Gens tam avida lucri damnus ejusmodi ferebat æquus; tanto scènore sperabat illud non ita multò post esse refarciendum!

Jam ne deesset ipsis Ducibus perficiendi viriliter operis incitamentum; qui Bataviciis copiis præerat Marloborochus, tanquam res conjurati Fœderis superiore anno feliciter promovisset, gratulationem totius Britannia nomine legationem acceperat; & Ducali insuper honore auctus, novam dignitatem novis triumphis decorandam esse sentiebat.

Hinc ille, cum Optimatum in concilio de incæptando bello ageretur; & quâ primus fieret armorum impetus, deliberatum esset; nihil potius, quàm Bonnam, Namurcum, Antuerpiam, Ostendam & alias arces tam conspicui nominis expugnandas destinare. Sapienter enimverò, Auditores; nam occupata semel Bonna liberam nostris hostibus inferioris Rheni navigationem efficiebat: subactum Namurcum aperiebat aditum in Brabantiam? & qui Antuerpiam pariter & Ostendam expugnâisset, totum, quàm latè patet, Belgium habebat in potestate.

Quare sic acclamatum est ab universo consessu consultissimo Imperatori; ut jam Provincias partirentur inter se, & referenda brevi spolia dividerent. Et quoniam querebatur Anglus bellum infructuosum; & impensarum, quas fecerat hactenus, dolebat nullam se accepisse mercedem; querelas ut compescerent, Ostendam ipsi cedebant omnes: liberaliter quidem, at propere nimis, ne quid pejus dicam; qui Leonis pellem pollicerentur, antequam Leonem ipsum expoliâssent.

Interim dum in Belgio tam bellè cuncta procederent, deteriolem nihilo expectationem inimico Fœderi Germania suscitabat. Et quidem aliquas facturus moras ferebatur cum suis legionibus invictissimus Princeps Bavarus: cujus in fide sincerâ arctissimâque propinquitate non minùs, quàm in ejusdem virtute ac robore Gallia confidebat. Verum

rùm tam multis è partibus jam jam impetendus jactabatur, ut, vel si alter Hercules existeret, non certè contra duos, ne dum contra tres exercitus tueri se posse speraretur.

Nam quot & quantas in unam Bavariam copias, & quibus instructas Imperatoribus Hostes adornabant? An Stirumium dicam, qui cum decem lectissimis hominum millibus superiorem Palatinatùs in oram irrueret? An Schlickium loquar; qui castra metatus ad Passavium, duo & viginti millia in ipsum Bavariæ sinum introduceret? An Badensem Principem appellabo? Qualis vir, & quantus, Auditores! quàm vel hoc uno nomine metuendus; quòd in Europâ totâ nullus olim fit inventus hostis dignior, qui triumphanti Delphino opponeretur! An Badensem, inquam, appellabo; qui Franconiæ totius ac Sueviæ & opportuno Batavicarum cohortium subsidio fretus, factâ per Ehrembergum impressione, Bavariam occuparet? Sic revulso penitus, qui restabat unus, obice, pacatâ tranquillâque Germaniâ securiùs ac fortiùs communem in rem incumberebat.

Sed de Italiâ ipsâ quid sentiemus, Auditores? aut hostes ipsi potiùs quid sentiebant; qui permisisse illam Vindocinensis Ducis virtuti atque industriæ videbantur, intra tam breves paludum angustias arctati; nihil ut præter commodam salubremque fugam meditari ipsos credidisses? Venisset in mentem cuiquam suspicari, in hoc rerum flexu Italiam esse, quæ spes inimici Pæderis dulcissimas pasceret? Quanquam ne blandientem invidemus Hostibus optatissimæ sortis expectationem; quam si minùs ratam robur atque animus facerent, dolus certè multiplex & malignæ fraudis genus omne fecisse potuisset.

Nam quò pertinuit promissam nobis jam diu sollicitâsse tot artibus Lusitaniæ fidem? ambitiosas

obtulisse nuptias, quæ perstringerent oculos, & coronam, quam spe jam præsumerent, dotale munus polliceri? Quid illa Classis tanto ambitu sumptuque comparata in Tyrrheno mari præstolabatur, nisi novum Regem, quem, si modò eventus secundâisset, tui postmodum Italiæ ostentaret?

Jam & Venetias ipsas, quia medias partes sequebantur, neque se nobis potius quàm ipsis devoverant, putabant in commune sædus facillè inclinandas; postquam reliquos Italiæ populos suis rebus addixissent. Sic & infringi posse arbitrabantur, quam rursus legitimo Principi fidem tam sponte Neapolis obligâisset: quòd illam fortè non alienam penitus à novitate aliàs persenserant.

Sed quid hîc ego spes Hostium leves atque incertas operosius persequor, dum fortius multò, tantòque certius præsidium rimarentur, quantò periculosum minùs ac minùs metuendum nobis credebamus? Dum suis partibus eum conciliarent Principem, cujus in fide, benevolentia atque affinitate Gallia tantum ponebat. Dum eum nobis suscitarent hostem, qui se defensorem & acerrimum rerum nostrarum vindicem nuper exhibuerat?

Quanquam quid ago? quòd feror? quas me in ambages conjicio? Ignoscite, Auditores; hæc si relinquere intacta malim, quàm dicendo asperare. Utinam enim verò aut alienus hostis, aut verendus minùs, aut minùs amandus objiceretur! Sed præcludit vel querelis locum augusti carique capitis veneratio; neque eum insectari patitur quem eripi nobis, & à nostris abstrahi avellique partibus & dolemus, ut par est; & resipiscentem ultrò amantèrque reciperemus.

Nam quòd non promovebant Hostes spes suas.

Nam

hunc sibi Virum dum devincirent? Noverant nimirum quanti stetisset nuper fatale bellum, quod à nobis in his regionibus gestum erat: quàm multis sumptibus ac funeribus mancipata fuisset imperio Gallia hæc Italiae pars, quæ subjicienda denuo incumberet! Jam nec intactæ fore sperabantur illæ Imperii nostri Provinciæ; ubi spirantes adhuc vel senescentis Hæresis reliquæ opem patrociniûmque pollicerentur. Sic ubique amplam copiosamque nacti palmarum trophæorumque segetem jam exultabant Hostes; neque convitiis ipsis, quæ passim in libellis spargerent, quod erat minùs ferendum, abstinebant.

Superbè illi quidem, Auditores, jaclantiùs multò, quàm par erat; insolenter etiam, si vultis: verùm an tam temere illi, quàm ambitiosè; tam falsò, quàm imprudenter gloriabantur. Conjicite ex iis quæ diximus, & rem totam per vosmet ipsi aestimate.

Nunc verò, quò tandem erumpent spes tam lætæ, tam magnificæ? Quibus hunc Annum victoriis ac triumphis Hostes consignabunt? Revolvamus strictim atque obiter, & veloci percurramus oculo loca singula, quæ trophæi materiam suffutura dicebantur. Actum erat de te, Antuerpia! Conclamatum Namurci fatum: obtingebas Anglis Ostenda; pérque tot revulsâ claustra, tot perfractos aditus, infelix Belgium, pingnis Hosti famelico præda veniebas! Metus omnis absit, Auditores! parcitum est adhuc infortunatæ Provinciæ, neque vel unum de tot propugnaculis aut oppugnatum duriùs est, aut leviter etiam pertentatum.

Dicamus, quod verum est; Erant illi clamores Montium parturientium. Novum aliquod insolitumque portentigenus hoc anno spondebatur:

magna ubique populorum expectatio; timor etiam fortè non levis quorundam hominum, quos aut in-
cesserat aliqua nostræ fortis commiseratio; aut re-
rum in tanto tumultu perturbatio commovebat.
O invidendam inimici Fœderis conditionem; nisi
spes tam lætas ridiculus partus excepisset! Indul-
geamus aliquid justo Hostium dolori, Auditores;
ut ne commemoremus illa, quæ trophæorum in
parte, neque computanda ducebant ipsi; neque nos,
si carere illis contigisset, detrimentorum loco nu-
meranda censebamus.

Hic verò juvat paulò curiosius perscrutari,
quo tandem contigerit fato, ut Hostes Gallici no-
minis, qui tam feracem in Belgio rerum prospera-
rum paratam sibi messem prædicabant, spe tam
lætâ penitus exciderint? Cur nihil eorum videan-
tur aggressi, quæ facturos se palàm confidenter-
que minabantur?

An rem plenam periculo duxerunt esse, certa-
men inire cum Gallis, quos rumpi frangique ne-
scios tam sæpè didicissent? At superiores multò
copiarum multitudine poterant eos obruere nume-
ro, quos animi robore vincere desperarent. An
fortè conquerentur rem habendam sibi fuisse cum
juniore quidem, sed invicto Principe, cujus ne
aspectum quidem ferre superiore anno potuissent?
At invictus Burgundiæ Dux graves exosus moras,
quas illi detrectando pugnam nuper in Belgio
nexuerant, opportunam magis victoriæ segetem
in Germaniâ quæsierat. An quoddam senserint in Vil-
laregio, quam ipsi frustra laceffivimus in Badensi
Principe, meticulosam in declinando certamine
cautionem? At Villaregius non modò paratus sem-
per fuit, qui laceffentem hostem exciperet; sed
progressus obviam Trajectum usque, latentem in-
tra propugnacula & prodire in apertum recusantem
provocavit.

Sed

Sed quid dissimulem, Auditores? Sentio, quid convolantis ad occupandum Belgium sociati Fœderis impetus retardârit. Nimirum urgebant res Germanicæ, quæ gravissimam in Duce Bavaro moram experirentur. Hic statim amovendus obex, dum solus & sibi relictus uni tantus vir, nullum à nobis subsidium propter insuperabilem locorum intercapedinem ac difficultatem expectabat.

Meministis, Auditores, quàm varius, quàm multiplex, quàm formidabilis Hostium apparatus adversus Alciden unum concurrerit. Sociati Batavis Austriaci, Suevis Saxones, Palatini Franconibus, selectæ totius Imperii florentesque copiæ, quas peritissimi, uti jactabantur, & erant revera, Imperatores ducerent in aciem, quantum properandæ mox victoriæ fiduciam afferebant!

Verùm quàm disparem ab eâ, quam erant acturi personam, Hostes sustinent! Hic coacti Neoburgum cedere Victoris implorant fidem. Illic non expectandum rati qui vinceret, munitissimas arces & rerum omnium copiâ refertas deserunt. Hinc obsidione solvunt Rottembergam; inde Ratisbonam referant ac recludunt. Jam perit ipsis Tirolis, & provincia tota, reluctante nemine, Bavaro Principi subjicitur. Quid plura? Cæditur Stirumius; Badensis agitur in fugam; Schlickius medio in ludo occupatus circumveniri suum exercitum, & victoris arbitrio capi trucidarique permittit. Tot inter clades ac strages, quod demum aut victoriæ aut lucri genus Hostes reportant? Quibus in locis extat aliquod vestigium illius gloriæ, quam sibi vindicabant? Ubi tandem sua ipsos spes ac fiducia non fefellit?

Jam verò rursus si quis roget, quo factum sit casu, ut in Germaniâ deteriore opinione suâ fortu-

nam habuerint : non est tam in promptu dicere, quàm fortè videri possit. Nam si quis dicat, Hostes sibi promississe plura, quàm valerent perficere; sanè, vel ipsi diffiteri non potuimus, Auditores; quàm illi haberent multa ad suscitandas spes quasque lætissimas comparata. Sin rei bene gerendæ locum ipsis defuisse causabimur; objicietur nobis contumè ventum fuisse ad manus sæpissimè, & in omnibus penè Germaniæ regionibus acriter fuisse decretatum. Num Hostium prudentiam & fortitudinem requiras? Neque vel ipsi victores geminam hanc laudem victis inuidebunt. Non deerunt fortè qui querantur integrum non fuisse nostris Hostibus, mancipatam jamdiu vexillis Gallicis victoriam ullà ratione demereri: sed vetus hæc querela est, quæ vel ipsâ diuturnitate obsolevit. Quid ergo dicemus esse? Rerum tam insolentium causas unde eruemus? Controversiam hanc Politicis, hominibus plerùmque otiosis, dirimendam relinquamus; nos in Italiam pergamus: si fortè in iis saltem locis faventem expectationi suæ fortunam hostes habuerint.

Quamquam neque illic se mihi objicit quidquam, quod sibi possint admodum gratulari. Equidem video nullis parvitum fuisse artibus, spes ut promoverent suas. Fuit suus promissis, sumptibus, illecebris locus: dolis, fraudibus, insidiis, armis etiam certatum viriliter. At quo exitu; nisi ut, quo erant priùs, eodem in statu versarentur res inimici Fœderis, aut deteriorem etiam sortem consequerentur?

Pluribus impensis atque opibus instructa, adornata Classis fuerat, quæ subsidium ingens veheret in Italiam: illa morata diu in mari Mediterraneo, eò demum unde solverat, repenitus infecta, reversa est. Solicitata magno ambitu, redempta ingenti pecuniæ vi, potentioribus fulgentis Coronæ ille-

illecebris devincta Lusitaniæ societas: at quid nocitura sit Lusitania, nobis si adverteretur, non videmus. Moliebantur Hostes Neapoli metuendam omnino rebus nostris & exitiosam conjurationem; resectæ fraudes metum ac sollicitudinem sustulerunt. Putabant eisi minimè iustâ de causâ inclinandam partes in suas pravo Lusitanorum exemplo Venetam Rempubicam: at illa juratâ mansit in fide, nec ipsam sui in nos studii pœnitere sensit. Mittebatur in Pedemontium fortissimus totius Germaniæ Equitatus; hic interceptus à nostris, captus, cæsus & vix ad quingentos Equites redactus. Conflabatur nobis ab eo tempestas, quem minimè omnium voluissemus, & quem hodie dolemus hostem experiri; at ille qui timeri potuit occultus, jam apertus hostis desit metuendus videri. Denique erectum inane Regis simulacrum est, quod perstringeret oculos, & populorum obsequia devinciret; sed quis præter unos Batavos studiosos semper iniquæ dominationis fautores inventus est, qui non dico jurandam novæ Majestati fidem, sed vel Regium deferendum esse cultum arbitraretur.

Quæ spes ergo jam restare possit nostris hostibus, postquam ab omni parte elusam doluerunt, quam habuerant expectationem? Nam si in eâ rerum ac temporum opportunitate, quâ majorem nusquam aliàs nacti sunt; quæ nobis ipsis tanta visa est, ut sollicitudinem aliquam parere potuerit: In hac, inquam, opportunitate si processere tam parùm, si pejorem omnibus in locis fortem experti sunt, jam mutatis omnino rebus ac temporibus, quid futurum deinceps existimandum est, nisi funestum belli amorem, aut iniqua potiùs odia, quibus armorum furor incenditur, quamprimum deposuerint? Sed me vocat pars Orationis altera. Demonstravimus Fortunam hujus anni fuisse, ut spes Ho-

stium

stium fefellerit : nunc quàm bellè nostras viceris eadem, videamus,

II. PARS.

Parùm consultus ego fortasse, aut certè Gentis nostræ non satis æquus æstimator haberi possim, Auditores, qui Gallis omni fide, omni expectatione majora præstare solitis, ipsam sperandi hoc anno multa ac præclara facultatem eripuerim. Tamen hic animus, hic ardor cum ipsâ gente Gallicâ quodammodo natus, quem aspirantem semper ad ea, quæ magna sunt, nulli retinent obices, nullæ difficultates remorantur, non est imprudens aut temerarius, neque illa vindicat tanquam sua, quæ conditionem, ut possint comparari, non habent.

Atqui is erat nostrarum rerum hoc anno status, ut si ad propulsandos hostiles impetus fiducia certa non deesset, nihil ultrà penè expectandum, aut speranda nobis esse pauca fateremur. Neque verò visus hic esse sermo meticulosorum hominum, qui suis rationibus omnia metiri solent, parçique suorum laudatores, quidquid ab hoste profectum sit magnificè prædicant & extollunt. Ita loquebantur fere omnes, qui acutiùs in rebus vident, neque vel ipsi, quibus aut ambitio ad expetendum quod arduum est, aut animus ad exequendum viriliter quæ voluerint, nunquam defuit, aliter sentiebant.

Agite enim verò : Belgium inspiciamus primum, & quem nobis polliceretur armorum exitum, operosiùs perscrutemur. Meministis, Auditores, quod alterâ Orationis parte exposuimus, collocatas in Belgio fuisse spes inimici Fæderis lætissimas. Convolârant illuc tanquam certam ad prædam Britannæ totius atque Bataviæ vires, & pars Germanici roboris non ultima; eamque conflaverant copiarum multitudinem, quæ nostrarum numerum triginta hominum millibus superabat.

In

In iis rerum difficultatibus, quibus mederi non erat integrum, quia varias in partes bellorum necessitate distrahebamur: rogo vos, Auditores; erātne consentaneum id sibi polliceri, nihil in toto Belgio, quod nostrum, aut Sociorum esset, non intactum fore? Huccine licebat spes promovere nostras; ut longè inferior militum numerus superiori nunquam cederet? Quis persuasisset sibi futuram hanc semper castrorum nostrorum opportunitatem, ut oppugnari ab hoste sine detrimento non possent? præripiendas à nobis ubique stationes illas, quæ paucitati faverent, nocerent multitudini? ita dispensandam quocumque, ubi res postularet, totius vim exercitûs; ut, si pugnandi cum hostibus occasio se offerret, id impunè & citra periculum possemus pertentare. An sperandi locus erat, quamcumque in partem adversarii moverent arma, cuicumque urbi minitarentur, præstò nos adfore, qui clauderemus aditum, viamque obsidionis omnem intercideremus? Sic itum iri obviam Hostium molitionibus, sic prævertendas insidias, medendum incommodis, difficultatibus esse occurrendum; quasi ipsorum interesse consiliis, adesse consultationibus, in ipsâ mente, quid sentirent aut meditarentur, oculis usurpare licuisset: Denique fuisset aliquis inter nos tam plenus opinione Gallici nominis, tam confusus militum robori, solertiæ Ducum tam securus; qui id genus operis tam varium, tam difficile, tam periculosum, non identidem, sed in dies penè singulos, non per exiguum aut breve tempus, sed per totam æstatem tractari à nobis posse credidisset?

Hoc ipsum tamen, quod fidem Hostium vincere, quod nostram ipsorum expectationem superare videbatur, in Belgio fecimus, Auditores; non tam militum vi ac robore, quàm singulari sapientissimi Regis providentiâ; qui, sicut Sol in centro
mundi

mundi positus, ut quibusdam placet, diffundit partes in omnes lucis tuæ radios, & circumfusa latè corpora collustrat; ita mediis Regni sui de penetrabilibus sic dispensat in Legatos suos atque vicarios sagacitatis suæ lumina, ut eosdem altissimæ mentis participes efficiat.

Quos inter cui potius quàm Villaregio gratulabimur, cujus in exequendis, præveniendisque nonnunquam mandatis regiis provida sedulitas, tam insignem hoc anno Gallicis rebus gloriam, tam expectatam utilitatem attulit? Felix unus omnium maxime, cui vel à teneris contemplari propius augustæ mentis sublimitatem, pervidere regalis animi sensus altissimos, & tam perfectam ex omni parte imaginem, quantum fas erat, licuit exprimere! Felicior, qui parentem nactus in moderatore tanti Principis, ex eodem traxit solo illa virtutum semina, quæ tam felices in ramos propagata, amandum suis, metuendum Hostibus, verendum universo orbi Ludovicum exhibent! Felicissimus, quem magna in doles, miracum regiis moribus convenientia, plenum tenerrimo studio obsequium, spectatus domi forisque suavissimus virtutum concentus, æquissimo rerum æstimatori Ludovico, dulcem Aulicum, Ministrum fidelem, carum inter paucos atque amicum reddiderunt!

Quamquam hancine Gallis unam in Belgio gloriam tribuemus, ut conjuratis tot Hostibus soli viriliter resisterint? Scilicet nullo ponendum in loco videbitur, quòd spectantibus ipsis ac cessantibus erepta Tongrorum civitas? quòd cæsi, fugati, captique non semel ipsorum manipuli? quòd impetii frustra, & ad pugnam impunè provocati ad Trajectum? quòd acie fusi ad Ecrinium & ingenti affecti clade, dum collectis magno apparatu copiis, Antuerpiam ipsi properarent; & partem Belgii longè maximam quasi jam suam sibi gratularentur?

Quo

Quo loco laudetur imprimis *Bufflerus*, cujus incredibili celeritate ac diligentia sic occupatus Hostis fuit ex improvise, ut imparatus lacefferetur: cujus virtuti ac robore ita suffectum est, quod deerat multitudini, ut instructo magno copiarum numero *Obdamum* ipse cum paucis funderet ac superaret. Neque hinc etiam ad singularem *Villaregii* prudentiam commendatio levis accedet; qui cum certo comperisset procedere pleno gradu hostilem exercitum, tam opportunè Regis iudicio, tam feliciter ex ejusdem sententiâ submisit copias, quæ properantem hostem interciperent; ut de *Villaregio* prædicaret *Ludovicus*; illum non tam suâ, quàm Regis ipsius mente actum, grande hoc providentiæ specimen edidisse.

Persequamur ulterius, Auditores; & videamus porro, num *Germania* lætorem hoc anno magnarum rerum expectationem nobis faceret. Quidquid ultra *Rhenum* cernitur, totum hoc hostis habebat in potestate. Scilicet cupidissimum procurandæ universo orbi longæ tranquillæque pacis studium ita generosam beneficamque *Ludovici Magni* indolem devinxerat; ut munitissimas arces, fortissima propugnacula, præstantissimas urbes, perennia tot victoriarum suarum *Germanicis* in regionibus monumenta ultrò volensque, suis vel dolentibus, quorum plurimi intererat tanta pretio redempta pax, hosti etiam non petenti condonasset. Erat in armis *Germania* tota, quæ *Rheni* ripas clauderet, parata tanquam pro aris ac focis dimicare. Adde tot munimenta, tot aggeres; tot castella, quibus continuo veluti ac perenni vallo defensus *Rhenus*, vix liberam trajiciendi fluminis moram relinqueret. Tamen nihil querimus, Auditores; ubi quantò fuit difficultas major, tantò conspicuum magis victoriæ decus exurgit. Quid enim tam egregium, tam admirabile, tam novum, tam præter nostram ipsorum

rum

rum expectationem, quàm quod in Germaniâ fecimus?

Nondum hyems sævire desit; jam trajecit Rhenum Villartius, & castellis quinquaginta, quæ trajectum defenderent, expugnatis, fuis Germanorum duodecim Legionibus, fortissimam Kellæ arcem, Germaniæ claustrum, per quod unus pateret aditus, aut nullus, obsidet. Diditur rumor inexpectatus atque insolens per Offenburgum, Gengebaccum & Zelam: decedunt Hostes his tribus oppidis cum tantâ festinatione, ut neque tormenta bellica, quibus referta erant plurima, neque copiosissimos com-
meatus exportent.

Interim percrebescere tam improvise facinoris fama, & Fœderatorum animos rei novitate percellere. Concurritur, adsunt in procinctu collecti ex Bataviâ variisque Germaniæ provinciis formidabiles exercitus, qui Kellæ obsidionem solvi jubeant, aut extremam pernicem intentent. Quo tandem exitu, Auditores? ut duodecimo post die, ex quo cœperat obsideri civitas, eandem pluviosâ admodum & incommodâ tempestate expugnari cererent: & qui cogere nos minimè potuissent ad solvendam obsidionem, ipsi solutam à suis ad Traërbacum, nobis cogentibus, post alterum expugnationis mensem fuisse testarentur.

Sed quid ego in ipso rerum à nobis in Germanico solo gestarum limine diutiùs immoror? Optulandum erat generosissimo Principi, quem non magis propinquitatis ratio, quàm causæ æquitas Gallicis partibus addixerat. Ac licet, quocumque se ferret torrentis instar Dux Bavarorum, fidelem comitem secum traheret Victoriâ; tamen unus in omnes non poterat usque resistere, nisi promptam à nobis opem experiretur. Id genus officii, Auditores, æquitas, fides, affinitas, amor, gratissimus animus exigebant. Quanta apud generosam Gal-
lorum

lorum indolem exerendæ virtutis incitamenta !
Nihil erat, Regum beneficentissime, quod Legio-
nes Gallicas Bavaricis castris adjungi tantopere pro-
perares: hoc ipsum milites nostri cupidissime am-
biebant; qui nihil magis quàm ingrati pectoris su-
spicionem verebantur.

Atenim sese offerunt inviæ rupes & inaccessi-
scopuli? Superabuntur. Impediti atque inextrica-
biles anfractus viam claudunt? Perfringentur. Lo-
corum angustia vix patiuntur peditem, Equitatum
non admittunt? Laxabuntur. Adest in insidiis mi-
les armatus, qui lapidibus solis instructus arcere ob-
vios possit? Fugabitur. Visa res illa gravissimis
viris expertissimisque Ducibus difficilioris operæ,
quàm ut tentari posset? Nihil est tam arduum,
tam difficile, tam intentatum, quod officii ra-
tio, vincendi studium, Ludovici jussa non per-
suadeant.

Dum loquor, ecce jam villartius recenti elatus
victoriâ, quam de Badensi Principe non ita pridem
ad Fridelingam retulerat; Badensem dico, qui nus-
quam victus aliàs, eo primùm die didicerat vinci se
posse, & virentem ad hoc usque tempus augustæ
frontis lauream non sine lacrymis senserat uno mo-
mento marcessere. Ecce, inquam, Villartius operi
se accingit; quale opus, Deus immortalis, & quàm
periculosæ plenum alicæ!

Ne mihi Vetustas invidiosa jactet Annibalem,
quem perforasse Alpes & aceto rupisse montem fe-
runt. Ne vel Magnum Alexandrum ostendet, quo ju-
bente præcelsæ rupis fastigium Macedones capeffi-
vère. Majus aliquid audent miles Gallicus, qui præ-
sente numeroso exercitu, quem perfringendum obi-
cem illi non habebant, aspera sylvis ac cauitibus, vix-
que habitata feris loca penetrare non dubitat. Stu-
pent Hostes ipsi, neque suis credunt oculis, dum rem
peractam intuentur, quam fieri posse non putave-
rant.

Bb

Ne-

Neque te verò hic filebimus tanti operis hortatorem ac socium, Blenvillæ, diligentissime virtutis illius æmulator, quam non ita pridem suspeximus in geminis Fratribus Colbertis; quos pro patriâ viriliter decertantes gravius hodiè que doleremus oppetiisse, nisi tu fortissimo cum Fratre exhiberes eosdem; & paterni, quo deflagrabant ambo, in Regem, in Galliam studii hæres non degener existeres.

Nolite deinceps mirari, Auditores, si tam operosam, tantique discriminis victoriam adeptus ad novos lætioresque triumphos Gallus assurgat. Hinc strato super Danubium ponte molientes aditum in Bavariam Germanos aggressus partim mactat ipso in loco, partim captivos facit, partim fugientes insecutus in Danubium præcipitat. Felix ex omni parte victoria, nisi Heronium unâ cum Legatio victorem, virum, si vixisset, quibuscumque militiæ gradibus evehendum, desideraret!

Inde nactus in Principe Bavaro gloriosissimi facti auctorem ac Ducem noster exercitus, collectas Stirumio Imperatore Germaniæ vires oppugnat, vincit, profligat; & cæsis quinque hominum millibus, totidem captis, eundem impedimentis & castris exiit. Fuit hæc enim fortissimi Principis singularis modestia atque humanitas; ut scriptis ad Christianissimum Regem literis, victoriæ decus, cuius ipse pars tanta cum suis Bavaris extitisset, re-funderet in Gallos: addito ad Gentis totius commendationem non vero minus quam magnifico elogio; *nihil esse, quod militi tam strenuo, tam docili non cedat.* Potuisset enim verò his instructus copiis Dux Bavarus illustriorem sibi de Badensi Principe victoriam gratulari; nisi ille declinandum putasset periculum, & se se sub Augustæ incenia prudenter recepisset.

At

At ecce, dum præceptam animo nobilissimi triumphæ expectationem Badensis Princeps fugiens eludit, cadit Brisacum interim, Urbs illa tot propugnaculis munita, tot defensa aggeribus, tantoque diligentius adversus impetum vimque armorum nostrâ ipsorum industriâ comparata; quanto minùs eandem paulò post studio Pacis Hostibus permittendam prævidebamus. Cadit, inquam, Brisacum; & duodecimo post obsidionem die junioris Principis imperium agnoscit. Nihil est quòd hostis ad elevandam minuendamque tam repentinæ victoriæ magnificentiam severius in eum animadvertat, qui Urbem dedit; quasi maturius dedidisset. Fidelis ac strenui Gubernatoris omnes partes implevit Arcochius, hoc culpandus uno, quòd rem cum Burgundionum Duce habuerit. Quanquam ignoscendum hosti, Auditores: non senserat ille versari juniorem Principem in eo solo, quod paternis laureis esset confutum; in quo debuisset Victoria, quæ Parentem in Filio agnosceret, eidem triumphalem lauream quantocyùs deproperare.

Pavescite Hostes Gallici nominis; & primum hoc recentis militiæ monumentum, quot & quantæ deinceps victoriæ consecuturæ sint, præcipite. Non expectat in Gallicis Heroibus annorum numerum, sed vel in ætatis flore virtus se prodit; viris etiam longiore rerum usu & in bellicis laboribus jamdudum exercitatis invidiam factura. Prælusit hactenus Dux Burgundionum, & non minùs vobis quàm suis, quid præcoci ingenii felix maturitas, quid sagacioris industriæ solertia, quid gravioribus in periculis invicta mentis constantia valeret, ostentavit. Prævertite nobiliores triumphos, tam certò vestram in perniciem, quàm in nostram gloriam erupturos.

At enim, Auditores, Italia tam infructuosa nostris; Hostibus, contra spem ac votum tam sterilis.

nihilne vicissim nobis offeret præter nostram expectationem partum gestumque feliciter ?

Nimirum sic oportuit nos esse comparatos adversus fallaciam omnem ac dolum; nihil ut machinari liceret Hostibus, quod statim non videretur à nobis, aut etiam præverteretur ? Nullas illi struere insidias debuerunt, quas longè antè non prospiceremus ? Non potuerunt pertentare nostrorum sociorum fidem, nisi compertum id certò penitusque exploratum ad nos perveniret ? Denique non erat ipsis integrum sanctissimas amicitiae leges & arctissima propinquitatis vincula labefactare, quin extemporalis arcendi periculi facultas nobis suppeteret ?

Non est, mihi credite, tam impervia fraudibus ac proditiõibus humana prudentia, ut occupari ex improvise aliquando non possit: neque hanc laudem Gallica gens ambivit unquam, ut adversus malas artes felicibus cæteris instructa videretur. Imò cum ingenuam, & sicut ipsum Franci nomen sonat, sinceram imprimis indolem nacta est; tum reliquos spectare ex animo suo solet, neque tam commodè, si quid dolosum aut infidum fabricetur, potest suspicari.

Tamen quid fuit in Italiã gestum tam subdole, tam fraudulenter comparatum; fabricatum tam perfidiosè, quod pervidere statim, retexere penitus, feliciter intervertere non contigerit ? Hæc rursus tua laus, Regum maxime, hic fructus sagacissimæ illius providentiæ; quã in tantã tot negotiorum mole, cui ferendæ unus sufficis, ita moderaris singula; quasi nihil, præter id ipsum quod instat, providendum incumberet. Tu perniciose per Italiam Hostium consilia dum retegis, dum clandestinos conjurationum tumultus indagas, dum paratas insidias odoraris; alios in obligatã semel fide retines; nutantes alios & defectionem meditantes

con-

confirmas; alios convolantes ad arma, & impensa toties benevolentia male memores opportuno victricium legionum robore coerces ac reprimis.

Quanquam fecisset jampridem actiuosa Ducis Vindocinensis diligentia, quem tam felici Gallia fato rebus Italicis Imperatorem praefecisti, ne quid turbarum ac tumultus in Italia superesset; nisi supremum Hostibus exitum meditantem retinuisses. Nisi religio, pietas, summi Pontificis reverentia, qui tractus illos terrarum habet in patrocinio ac clientela; nisi ipsa tuae indolis humanitas, qua servare amas, quos posses perdere, prohibuissent; ne laxatis aquarum repagulis, arctatas brevia inter spatia tristes Germanorum reliquias totasque adeo finitimas late regiones Vindocinus inundaret.

Haecenus multa diximus, Auditores; & plura certe, quam aut me dicturum hoc anno considerem, aut vos audituros esse speraretis. Tamen sentio expectare vos adhuc aliquid, & conversi omnium in me oculi videntur exoptulare, quod nihil de recenti cumulatque ad Spiram victoriam, nihil de Landavi expugnatione praedicaverim. Praedicemus enimvero; nam cur illaudatum sineremus novum hunc laetissimae sortis cumulum, cui universus populus tam sinceram gestientis animi significatione Theatrales inter Ludos applausit? Dic nobis ipse, namque aderas testis communis gaudii, Delphine invictissime; cum perlatum ad te tribus abhinc diebus felicissimum nuncium congregatae multitudini nunciasses. An dulcissimi symphonicorum omnium concentus, quibus orchestra personabat, tam suaviter mulcebant aures; quam ille qui Ludovico Magno Parenti amantissimo, qui tibi ipsi ab universo Theatro plausus datus est?

Cur, inquam, & ipsi non gratulemur Regi Maximo supremum hoc Gallicae virtutis monumentum, quod toti anno veluti coronidem imposuit?

An quia receptum à nobis Landavum hoc anno, idem superiore fuerat ab Hostibus occupatum? At quàm dispar nostra & Hostium conditio fuit, Auditores! Illi cum millibus hominum quinquaginta ad oppugnandam urbem accesserant: nos viginti ad summum millia habebamus. Erant tantùm, illis obsidentibus, militum bis mille, qui Landavum defenderent: nobis qui resisterent, sex millia numerabantur. Nihil hoc anno civitati deerat rerum omnium quibus se viriliter constantèrque tueretur: eadem superiore si adfuissent præsidia, hostilem impetum elusisset. Steterunt illi tribus mensibus in extorquendâ deditioe: nos uno mense rem confecimus. Gallis, cùm obsiderentur, spes affulgebat nulla adfuturi subsidii: Hostes noverant esse in propinquo, qui sibi liberandis accederent. Nobis pugnandum fuit vel imparibus viribus, & sternendus ad interneccionem validissimus exercitus, ut urbe potiremur: illi per cuniculos & longas viarum ambages in urbem irreperunt. Denique captum ab hostibus cùm Landavum est, quis operis tanti Dux fuit? Badensis Princeps scilicet, & Badenii Principe major ipse Romanorum Rex. Quando receptum est, aderat unus tantùm ex nostris Imperatoribus, Auditores; qui solertiâ atque animo duobus illis Heroibus si non inferior, in contentionem certè vel nominis, vel dignitatis venire non præsumat. Quanquam, plaude tibi, Talarde; Nomen illud, quod geris, conspicuum jam pridem atque inclytum ex sese, geminum victoriae genus, quod uno eodémque die retulisti, sic illustravit; ut illud Regiis etiam capitibus feceris invidendum.

Sic fideles ubique ac strenuos consiliorum administratos, Regum maxime, ubique vincis ac triumphas. Felix tu quidem, qui, quot habes Legatos, tot victores tibi gratulari possis: sed felici-

ces illi multò magis, quibus ad vincendum, fortunam constanter obsequentem & manentem usque commodas!

Atque hîc mihi spectatam hoc præfertim anno Gallici Exercitûs virtutem & gloriam intuenti optare contigit, Auditores: eundem à nobis observari morem, quem olim viguisse apud Romanos scimus: ut rebus bello præclare feliciterque gestis, vestî Quadrigis Imperatores medias per urbes inferrent se se; & parta victoriarum suarum monumenta populis ostentarent. Quàm lætus hodie nobis, quàm gloriosus pompæ triumphalis apparatus objiceretur!

Tu superbum agmen ageres, Villarti; qui cæteris ad victoriam quasi signum visus es sustulisse. Tu perfractis Germaniæ claustris conspicuus, expugnatâ Kellâ nobilis, victo fugatòque Stirumio spectatissimus, tot Hostium spoliis circumseptus incederes.

Tu, Villaregi, defenso tam prudenter per totam æstatem Belgio, quod unam conjuratæ multitudinis vis ac robur impetere videbatur; sed prisco cunctatori Fabio simillimus, non minorem de repressis illic Hostibus, quam de lacestis ad Trajectum, de expugnatîs ad Tongros gloriam exhiberes.

Adescent tibi laborum socii victoriarumque comites; hinc Buslerus, partâ de malè memori Batavo ad Ecrinium victoriâ tam insignis. Inde Bedemarum tuæ sagacitatis ac providentiæ tam sedulus æmulator.

Tu quoque tot Victoribus novum decus adde- res, Curteburne; cujus in prædicandâ impensius cum prudentiâ, tum fortitudinè amare se Ludovicus ipse visus est: quod suo vallo pulsîs Hostibus, & capto per vim Neustadio, quod se illi concluderant, Gallis Landavum obsidentibus securitatem præstitisses.

Quid reliquos commemorem, Ussonium, Blen-
villæum, Grancæum, Legalium, & te Precontalle, te
Lavardine, nisi vos rapuisset mors immatura: cum
certum omen victoriæ, nescias vinci copias addu-
ceretis.

Neque tu prætermittendus à me, Calvotè; qui
rapto ab Hostibus vexillo gloriosus cum revererè-
re, hostis imprudenter creditus à tuis, ibi triste
funus invenisti, ubi triumphum consequi me-
ruisses.

Tibi verò, Talarde, quem recentior vernar-
tiórque laurea monstraret statim omnibus, ut ap-
plauderent populi! ut te portis bipatentibus ultrò
exciperent!

Neque tu comitari triumphos nostros, & tam
festivæ lucis splendorem augere præsentia tuâ de-
dignareris, invictissime Princeps Bavare. Tu par-
tæ nobis hoc anno gloriæ pars tanta, expugnatæ
tot Urbibus, Hostibus toties victis cæsisque clarus,
devictæ, subactæ, supplicis Germaniæ reliquias post
curram traheres, eandem olim melioribus auspi-
cis erecturus.

An non infelicitè victricem pompam clauderent
subnixi Rostris Navalibus, metuenda toto mari
Nomina, Cotlogonius, San-Polius, Luzernæus, qui
captis, depressis, incensis tot Hostium navibus,
suam hoc anno solertiam ac virtutem commen-
dârunt.

Hanc verò tam solennis triumphî magnificen-
tiam non ego in Capitolium, ut olim, sed in Ædes
Versalias deducerem; ubi jam redditus Regius
Princeps Dux Burgundionum militiæ suæ primitias,
& læta victoriæ monumenta Ludovici Magni in sinu
deposuit. Quàm suavis regalem animum sensus
pertentavit, Rex maxime; dum in juniore Nepote
Brisaci expugnatorem agnosceres! dum ille tibi
suas palmas referret acceptas! dum novam hanc
reccn-

recentémque gloriam documentis tuis atque exemplis debere se fateretur.

At cum medius tot inter Imperatores legatos tuos, tot victores triumphatorésque versarêre; cum circumseptus aggestis spoliolorum cumulis, quos singuli, Augustissimi tui Nepotis ad exemplum, Regia sagacitati, providentiæ, felicitati partes gratularentur, hunc annum inter fortunatissima Regni tui tempora numerares; utinam arcanos pectoris tui recessus liceret intueri!

Tamen novimus satis quid sentias, quò feraris, quos tibi spiritus moderatio animi tui, Religio, Pietas inspirent. In tantâ, tam justâ lætandi triumphandique causâ, hoc studes unum scilicet, Ludovice, ut, quam gratulantur tibi omnes felicissimam rerum ex voto fluentium seriem, hanc tu Deo Optimo Maximo jubeas unicè gratulari.

Perennes enim verò tibi gratias, Deus immortalis, qui tam singulari tuam in Gallicum Imperium providentiam testimonio consignasti! Tu contulisti nobis hoc anno plura, quàm sperare, vel petere licuisset. Tuere beneficium tuum, ô Deus! &, quam potes, adde perpetuitatem. Nolentes, læcessiti, repugnantes dum præliamur; numquid precari non licet à præpotente Exercituum Deo, *Dissipantes, quæ bella volunt.* Hoc tamen, vel non iniquum, postulare Ludovicus vetat; à quo vel in votis dissentire religioni ducimus. Habet nimirum ingens ipsius animus majus aliquid quod sequatur, quàm Victoris Triumphatorisque nomen; & in constantissimâ, quâ fruitur, florentissimi Regni perennitate, nihil jam ambit; nisi ut Pacator Orbis, Pacisque Fundator ac quietis, felicitatem publicam ac beatam tranquillitatem procuret.

Ergo tu Pacis auctor atque arbiter, Deus, quam frustra quæramus armis, hanc tu ferventibus religiosissimi Principis piique populi votis Pa-

cem indulge. Injice omnibus ac singulis Europæ Principibus salubres Pacis cogitationes : desistant tandem aliquando à bellis fatalibus, & communi nobiscum studio ad parandam toti orbi tranquillitatem incumbant.

Oratio habita Anno D. M. DCC. III.



IN NATALIBUS
SERENISSIMI DUCIS
BRITANNIÆ.

ORATIO EXTEMPORALIS.

ORATIO VI.

Quam felici gentis nostræ fato fieri dicam, Cardinalis Eminentissime, Excellentissimi Sedis Apostolicæ Nuncii, * Illustrissimi Ecclesiæ Principes, Præsides Illustrissimi, Clarissimi Senatores, Viri omnium Ordinum ornatissimi : Ut dum Europa penè tota funestis bellorum agitur æstibus, & grave sibi exitium timet ; Gallia perturbatos inter tumultus miram expeditamque securitatem præ se ferat, & dulcissimis pacis ac tranquillitatis fructibus perfruatur ? Nam quis diebus ab hinc patris, ex quo felicibus auspiciis ortus est Augustus Britanniae Dux, quis in omnibus ac singulis hujus

Impe-

* Aderant Em. Cardinalis d' Estrées, & uterque Sedis Apostolicæ Nuncius.

Imperii partibus ingentem illam, quam sustinemus, belli molem sensit, aut in placidissimâ fortunatorum temporum quiete versari sibi non visus est? Quàm singulari, quàm sincerâ gestientis animi significatione pretiosissimum illud divinæ in Galliam benignitatis pignus exceptum est? Quibus parvum impensis ac sumptibus? Fuit aliquis tam parvum locuples ac tenuis, qui lætitiæ communis in partem non venerit? Solennes ubique ludorum apparatus, liberales epulæ, festivi ignes, tubarum ac tympanorum sonitus hodièque non cessant; neque publici gaudii finis erit aut modus, nisi vel repugnantes coercerentur illi, qui in tam amplâ exultandi segete finem ac modum non admittunt.

Sensit enimverò, sensit Gallicus Populus premium illius muneris, quod sibi à præpotenti Numine concederetur, & plenam in novo Principe optatissimæ fortis expectationem præcepit. Agnovit unus omnium optimè Ludovicus, ejusdem beneficii vim ac momentum, & magnum in Pronepote suo votorum omnium sibi fatetur cumulum accessisse.

Agamus igitur immortales Deo Optimo Maximo gratias, qui suam in hoc Imperium munificentiam tam illustribus monumentis perpetuare non desinit: qui Ludovico Magno novum hæredem, serenissimo Delphino Nepotem optatissimum, invicto Burgundionum Duci & Augustæ ipsius Sponsæ felicissimam sobolem, toti denique Galliæ florentem Borboniæ stirpis furculum imperit.

Verùm in hoc recenti beneficio, dum piam ac liberalem omnipotentis Dei in religiosissimum Principem pariter ac fidelem Populum voluntatem ultrò profiteamur; ne dubitemus eundem agnoscere æquissimum utriusque muneratorem.

Sic enim statuo, Auditores, ita concessum divino consilio fuisse totius Galliæ votis Britannia Ducem; ut in eo Ludovicus Magnus dignum suo in Deum

Deum Religionemque constanti studio præmium referret; ut in eodem Gallicus Populus debitam suo in Ludovicum ipsum obsequio mercedem consequeretur. Igitur gratulemur primùm Ludovico Magno, cujus sinceram constantemque Religionem eo præmio remunerat Deus, quo dulcius aut illustrius esse non possit; erit hæc Orationis Pars prior. Gratulemur deinde Gallico Populo, cujus fidele in Regem obsequium eâ mercede idem compensat Deus, quâ lætior cumulatiórque regis Majestatis veris amantibus non contingat; erit hæc Orationis Pars posterior.

Quod utrumque dum exequor totius nostræ Societatis nomine, cujus nemo tam honorificam provinciam non ambiat, liceat mihi metipsum gratulari, Auditores; qui ante annos septem, cum ex hoc ipso loco pacificum Ludovici, parta victoriarum monumenta Religionem condonantis, animum extollerem; nescio quo afflatus spiritu amplam hodiernæ diei lætitiæ non tam optare, quam isto Vatis regis versiculo visus sum certò polliceri: *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum, &c. ut videas filios filiorum tuorum.* Psal. 127.

I. P A R S.

Etsi proposita virtuti merces non est circumscripta brevibus fragilis vitæ angustiis, sed cum ipsa æternitate cœquanda est; tamen qui virtutis cultoribus metiendam nullis temporum terminis immortalitatem promisit Deus, eosdem, vel dum vivunt, anticipato quodam felicitatis æternæ gustu solet recreare. Atque ut abstineam à cæteris exterarum gentium imperiis, quibus tantò lætiores rerum ex voto fluentium seriem Deus annuit, quanto impensiores divini Numinis cultum præ se ferrent; agite, Auditores, ex quo tandem nostra Gallia florere maximè cœpit, & supra reliquos orbis popu-

populos sibi principatum vindicare, nisi ex eo tempore, quo felicitis memoriæ Ludovicus Justus se, regnumque suum Deo Virginique Matri solenni religione consecravit ?

Vidit Ludovicus Magnus, qui natus eo ipso anno primus locupletissimusque paternæ pietatis fructus extiterat, quantum ad ipsam regnorum felicitatem conferret Religionis amor ac studium ; & in folio Gallici Imperii constitutus nihil antiquius habuit, quàm ut tueretur promoveretque sedulo, quod fecerat pater, & quod necessitate temporum præpeditus vel aggredi vel perficere Religionis causâ non valuerat, hoc inchoaret ipse atque exequeretur.

Horum ego temporum dum retracto memoriâ, Auditores, occurrit statim vestris animis, quàm multa ad Religionis gloriam, ad pietatis incrementum, ad refranandam morum licentiam, ad fovendam legum sanctitatem piè diligentèrque sanciverit ac constituerit Ludovicus vel in ipso juventutis aditu, quando cæteri vulgò Principes ambitione, gloriâ, aut certè degustandis suaviter inexpertæ Majestatis illecebris unicè occupantur.

Meministis compressum feliciter Duellorum furorem, coërcitam linguæ petulantiam, imminutam privilegiis & ad breviores angustias redactam Hæresim, emendatas Leges, novam Foro judiciisformam inductam. Quæ omnia Dei, Religionis, æquitatis causâ viriliter suscepta, quàm felici rerum exitu liberalis ac magnificus in suos Deus sit profectus, prædicarem operosius, Auditores, si cui latere posset tot miraculorum ferax Ludovici Magni vita, & illa florentissimi regni series, quam nulla ad hunc usque diem temporum calamitas interrupit.

Verùm

Verùm quantò clarioribus beneficiis Ludovicum Deus cumulabat, tantò erat ad promovendam Dei causam Ludovicus alacrior, nihil tam veritus, quàm ne in referendâ gratiâ minùs memor ac gratus videretur. Hinc ille inexpletus, constans, indefessus extinguentæ penitus in regno suo Hæreseos ardor animi quem non retardavit unquam vel lubrici operis difficultas, vel periculorũ magnitudo, vel imminentis belli metus, vel proprii capitis discrimen; sic ut admonentibus idem Proceribus Aulicis & obijcientibus incepti consilii magnitudinem atq; aleam difficilè; excepta sit non semel magnâ omnium admiratione regia illa vox: *faxiat enim vero Superi, ut pro tam felici causâ oppetere liceat!*

Hinc studium penè par, Religionis ejusdem, quam apud suos restituerat, ornaverat, amplificaverat, in remotissimas orbis partes propagandæ. Testor ego vos tot excisa Hæreticæ factionis monumenta, quæ non in suis modò, sed in exteris etiam terris disjecit; tot templa, tot aras quas erexit; tot pretiosa munera, quibus nascentes alio sub sole veræ Religionis Ecclesias ditavit. Testor ego vos terræ Orientis ultimæ, quibus regiis impensis sacros divini verbi ministros providit. Testes vos imprimis appello, perpetua pietatis ac liberalitatis Ludovicæ pignora! vos, inquam, novella germina, Juvenes advenæ, regis hujus domus hospites & alumni, Syri, Arabes, Armeni, Græci, quos Ludovicus adoptavit in filios, quos alit suis sumptibus, quibus eruditionem bonam in pietate, in literis impendit; ut reduces olim in patriam sitis Religionis veræ præcones ac defensores.

Hinc susceptum ultrò gravissimi belli pondus, ne afflictam, jacentem, insultam unâ cum regiâ Majestate Religionem pateretur. Neque verò dubitandum est, quin recepta nunc cælo inter In-

di-

digetes cœlestis patriæ Jacobi II. felix anima impensa olim sibi, & in Filium ac Sponsam propagatæ benevolentia memor Ludovici votis suffragata sit, & partem in hodiernâ felicitate plurimam sibi vindicet. Nam quid melius amico fideli, Regi beneficentissimo Jacobus precatus fuisset? aut quid Deus ipse lætius, optatiûve rerum suarum vindici ac propugnatori quàm heredem novum largiretur?

Cætera quæcumque favere votis Principum & pertentare ipsorum ambitionem solent, jam pridem Deus Ludovici in sinum prodigâ manu cumulaverat. Agite enim, Auditores, an deerat illi quidquam, vel opum ad auctoritatem, vel rerum prosperè gestarum ad gloriam, vel domesticæ pacis ad felicitatem? Quis tam verendus exteris, tam terribilis hostibus, suis tam amabilis est visus? Quis cum ipso victoriarum ac triumphorum multitudine, varietate, magnitudine conferri possit? Quis domesticis carior, amicioꝝ Aulicis, familiæ suæ jucundior atque acceptior extitit?

Erat aliquid ultrâ Ludovicus quod expeteret? quod ad fortunandam magis ac magis lætissimæ fortis prosperitatem necessarium videretur? Erat aliquid certè, quod Augusto defuit; qui expletâ longissimi imperii dominatione non habuit prolem, cui virtutes transmitteret suas, & universi Orbis principatum relinqueret. Felicior Augusto, uti & major Ludovicus sibi Filium gratulabatur, sed qualem filium, Auditores? Eum scilicet, quo meliorem, si Parenti ipsi peritissimo rerum æstimatori permitteretur optio, nec precaretur sibi, nec desiderare potuisset, Filium sapientiâ, judicio, æquitate, animo Patri simillimum; qui imperare dignus orbi terrarum, unum hoc ambit, ut obsequendi laudem cuicumque de vulgo præripiat: Filium hostium terrorem, expugnatorem urbium, victorem, triumphatorem. Filium aulæ delicias, popu-

pule-

pulorum amores, quo laborante non ita pridem confenscere Gallia, quo convalescente reviviscere visa est.

Hac fortunatus sobole Ludovicus habebat, unde provocaret æmulationem atque invidiam cæterorum Principum, quibus aut hæredes deerant, aut certè non contigerant tales, quales adesse voluissent. Sed quid Ludovico Filium gratulamur, cui tot Nepotes potiùs, imò cui Pronepotem hodie debemus gratulari?

Hunc porro felicitatis cumulum quæ par oratio celebret, Auditores? Novus Orator, novum dicendi genus requiritur; ubi nullum in totâ antiquitate suppetit exemplum quod sequaris, nulla prædicationis hujusmodi vestigia, quibus insistas. Evolvite, per me licet, Annales omnium temporum; vetustissima quæque Imperiorum monumenta percurrite: Invenietur Princeps aliquis, cui tam copiosum lætandi argumentum incidit? Pauci occurrunt inter Principes, qui Avi extiterint; qui Proavus, audeo dicere, nullus est: At qui Proavus sit eâ ætate, iis viribus, eâ valetudine, quæ legitimam educandi, instituendi, erudiendi Pronepotis spem afferat; nulla, credo, vel fera posteritas ejusmodi quemquam exhibebit.

Tu quidem, Regum felicissime, reliquorum Principum fortunam jam superaveras, qui alterum è Nepotibus florentissimo post Gallicum Imperium Regno præfecisses, eumque conspiceres hodie propriâ virtute promerentem, quod sanguini, quod virtuti tuæ debuerat: qui Nepotem alterum victricibus tuis copiis Imperatorem præposuisses, eumque multiplici victoriâ nobilem ac triumphantem recepisses: qui Regum hospes munificus extitisses, nunc etiam tutor ac moderator habereris.

Sed

Sed hæc, quanta, quanta sint, Dei munifici largitoris in te beneficia; vicit tamen hodierni muneris præstantia laudem ac gloriam præteritorum. Neque verò, Regum maxime, id dicere verear, qui te hujusce rei vadem ac sponforem habeam. Nam in datis ad Episcopos Galliæ literis, quibus jubes agi supremo Numini gratias ob concessum tibi Pronepotem, ita beneficii pretium atque magnitudinem effers, & extollis, ut, qui tam parcus ac severus esse soles in tuis laudibus, non dubites tamen felicissimum te inter cæteros Principes profiteri.

Quod etsi tacuisses, princeps enim verò fortunatissime, cui tandem conijcere non licuisset, quàm te florentem, quàm beatum hoc Pronepote tuo arbitraris. Viderunt omnes, ut erumperent palàm lætitiæ sensus, quos capax quantumvis animus non caperet; ut discurreres ipse per ædes regias, publici gaudii nuncius; ut venientium ultrò citròque gratulationes libenter exciperes, ut applauderes plaudentibus, & quantum invalescebant acclamantium voces, tantum exultanti animo incrementum accederet.

Id certè eò majore dignum admiratione visum est, Rex sapientissime, quòd in rebus prosperis egregiam servas moderationem atque temperantiam: quòd felices armorum exitus plerumque sic narras, quasi sagacitatis atque prudentiæ tuæ fructus non essent: quòd ante annos paucos, Hispanis Regem à te postulantis non annueras statim, sed tam inusitati gaudii percipiendam facultatem in alterum diem distuleras.

Unde porrò tam dissimilis, tam mutatus à se ipso Ludovicus est, Auditores? Unde Princeps ille tam potens sui, tam moderatus, tam imperans sibi metipso, non temperat hodie gestientis animi motibus, quin erumpant illi protinus, & arcanos

Cc

sen-

sensus referent ac prodant? Magnum esse quiddam oportet, Auditores: gravem aliquam causam intercessisse necesse est; ut is, qui nihil temerè agit unquam, nihil nisi consideratè, nihil ad severas sapientiæ leges non exactum, totum se in his rerum adjunctis lætitiæ permiserit. Nolite dubitare Auditores; neque dissimulare potuit ipse Ludovicus, quæ ratio tam effusum gaudium peperisset. Videbas nimirum, Rex sapientissime, per auspiciatissimos Britannia Ducis ortus, qui spem etiam ulterioris sobolis Augustis Conjugibus facerent, sic provisum esse Gallia pariter atque Hispania securitati; nihil ut à funestis bellorum motibus, quibus Europa quatitur, pertimescendum utrique relinqueretur. Videbas in fortunatis novi Principis natalibus lætissimum beatæ pacis omen. Videbas summam inde aspirare populis tuis expectationem optatæ tranquillitatis, quam nuper tot victoriarum trophæis redemerat, quam hodièque vel gloriæ tuæ dispendio redemptam velles.

Hinc illa lætitiæ tuæ significatio singularis, quia non tam tibi, quàm populis tuis Britannia Dux nasceretur; hinc exultandum triumphandumque tibi censuisti, quia ortus ille felicissimus non minus ad gloriæ tuam, quàm ad salutem, utilitatem ac quietem publicam momentum afferret.

Fremant enim verò gentes, & populi meditentur inania adversus Dominum & adversus Christum ejus; habet deinceps Gallia, qui res suas tutentur ac vindicent, qui foveant pacem, ac quietem; qui æmuloꝝ ambitionem coërceant, reprimant audaciam, consilia, molitiones evellant ac labefactent. Habet Gallia, quos non suis tantum populis, sed exteris etiam gentibus Duces ac Reges sufficiat. Hoc tibi nomine carissimus est Britannia Dux, Ludovice, quod spes ejusmodi suscitatur. O verè grandem, ô beneficam, ô libe-

ralem Ludovici animam! ô constanti populorum pietate, obsequio, amore dignissimam! Plaude enimverò tibi, Rex maxime; ne lætari hæc sorte, ne triumphare pudeat.

Sed dum plaudenti, dum triumphanti gratulor, en mihi se Ludovicus objicit prostratus ante aras suppliciter, demissis modestè ac collacrymantibus oculis, supinis manibus, vultu ad pietatem composito, qui præsentis illic Numinis cultum ac reverentiam inspiret. O si pervidere sensus intimos religiosi pectoris! ô si suavissimum illud impertientis se Dei felici animæ, & animæ vicissim sinceræ Deo gratias referentis commercium usurpare auribus licuisset! Hinc enim scaturit fons ille plenus rerum prosperarum, qui perenni fluxu Ludovici vitam inundat. Hinc ultrò liberalem se Ludovico Deus exhibet, quia gratus ac memor Ludovicus largientis Dei manum agnoscit ac reveretur.

Perge tu porro his animis, Princeps religiosissime; tuere constanti pietate ac religione beneficium recens, quod pietatis ac religionis tuæ fructus est: &, dum ad te nostra redeat oratio, patere, ut in populum Gallicum derivemus partem aliquam hodiernæ felicitatis, quæ ipsius in te fidelis obsequii præmium est. Hoc porro restat alterâ Orationis parte demonstrandum.

II. P A R S.

Non est opus hominum, quæ in legitimâ potestate residet, auctoritas; & quod Principibus viris præstari obsequium solet, non tam ipsis, quàm supremo Numini, cujus adumbratæ sunt imagines, exhibetur. Quamobrem etsi Regibus vicariis suis permisit Deus, ut debitum sibi obsequium quoquomodo exigent; tamen non ita de jure suo cedendum existimavit, ut nec plecteret ab officio deficientes, nec in eodem constantes munera et.

C c 2

Mi-

Miranur Nationes exteræ, nec sine aliquâ ægritudine æmulationis in nostram gentem commoveri solent, dum reliquos inter populos rerum prosperarum gloriâ floruisse illam semper, & florere etiamnum hodie inficiari non possunt. At mirari desinant & multò magis parcant indignari, qui nec docile Gallorum obsequium, nec sincerum in Principes suos amorem imitari sustinent. Sic est, Auditores, nulla gentium est tam felix quàm nostra, quia nulla gentium est tam studiosa, tam amans, tam adulatrix legitimæ potestatis, quàm Gallica; sive fructus ille est indolis bonæ, quam nacta sit, sive, quod ego lubentiùs crediderim, ut in colendâ supremâ majestate primas sibi vindicat, sic expressam in Regibus Numinis imaginem singulariter esse venerandam arbitratur.

Equidem scio, Auditores, feracem semper extitisse Galliam optimorum Principum, quibus servire honorificum foret; quibus & amandis temperare non posset: verùm quanti est vel hoc ipsum præpotentis Dei in gentem nostram beneficium agnovisse, ut par erat, & æquitatis laudem cum officii legibus conjunxisse.

Quòd si nullum unquam orbi Gallico Principem populorum obsequiis atque amoribus Ludovico Magno digniorem Deus ostentavit; ecquod etiam dicemus ante Ludovici Principatum tempus extitisse, quo majoribus testimoniis suum in Reges studium pietatémque Galli consignârint? Neque verò hic amor, hæc propensio voluntatum brevioribus Aulæ terminis circumscribitur, ubi majestas ipsa Principis reverentiam imprimat; ubi propioribus oculis licet intueri Ludovicum, & eximias ingentis ipsius animæ dotes contemplari. Idem hic ardor cernitur in omnibus & in singulis
per-

pertinet ad universos ordines: à nobilitate ad populum, ab urbe Regni primariâ ad remotissimas quâsque Galliæ oras atque Provincias felici continuâque successione propagatur.

Exemplum quidem cæteris exhibent primates Aulici suâ apud Regem assiduitate, officiis, sedulitate: eminet hic amor, hæc pietas in regii sanguinis Principibus: efflorescit in Ludovici Nepotibus, in Liberis; qui quantò propiùs regiam Personam contingunt, tantò arctioribus caritatis atque observantiæ nexibus cum eodem vinciuntur: sic tamen ut amor non deterat reverentiam, neque reverentia amorem vicissim infringat.

Verùm quousquisque est, qui suum in Regem studium testari non ambiat? qui occasiones non aucupetur significandæ suæ voluntatis? Quis ardor in miliibus, cùm pro Ludovici gloriâ certandum est? Quis vir nobilis vel fortunarum vel capitis discrimen reformidat? Quanta sollicitudo atque alacritas in Sacerdotibus, in Ordinibus Religiosis, in sacris Galliæ Præsulibus, quoties pro Regis optimi salute, incolumitate, felicitate vota facienda sunt? Quàm sedula in literatis hominibus, ut de nostrâ ipsorum observantiâ & studiosâ bene merendi de Principe optimo voluntate dicamus aliquid; quàm sedula, inquam, in literatis hominibus æmulatio, sagacitas, industria; ut res à Ludovico Magno vel bello vel pace præclarè felicitérque gestæ, ut edita passim ab eo pietatis, Religionis cæterarúmque virtutum exempla omnibus linguis ac literis, omni dicendi genere posteritati consecrentur.

Sed omittamus quæ privata sunt, ad communia veniamus. Revocate memoriam, Auditores, tristissimi illius temporis, cùm ingravescens Ludovici valetudo salutem ipsius in extremum discrimen adduxisset. Tunc enim amor imprimis se

prodit; cùm periclitatur is, quem amamus, neque meliùs sentimus unquam vim necessitudinis, quàm cùm dissolutionis metus incessit. Agite, memorate vos quæ vidistis, quæ audistis, & quorum ipsi pars magna exististis. Erat aliquis in Galliâ, ad quem tanti mali acerbitas non pertineret, qui dolere cum Rege, cum ipso laborare non videretur? Legisses omnium in oculis certius, quàm in ipsis nuntiis, quæ de valetudine Ludovici circumferebantur, vel crudescens, vel remittentis morbi conditionem. Interim incendi aras, cumulari donis altaria, templa votis complorantium personare. Mox ubi depulsus metus est ex Regis ægritudine conceptus, & restituta tandem illa sanitas tam ardentibus populorum precibus sollicitata: ut mutatus repente dolor in gaudium, ut situm squaloremque decor ac festivitas, lætæ communem communes plausus exceperunt! Adeò diligeris, Ludovice, ut orbis Gallici salus in tuâ unius salute posita sit!

Sit etiam illud, Auditores, constantis in Regem optimum obsequii & amoris monumentum; quod in tantâ, tam gravi bellorum diuturnitate, decrescentibus licet communibus fortunis, & accisis non mediocriter privatorum opibus, nova in singulos annos belli subsidia populi sufficiant. Quâ in re, quantò plus amori, quàm necessitati obsequantur, quàm ultrò commodis suis careant, dum gloriæ tuæ serviunt, fecisti ipse periculum, Rex invictissime; cùm ante annos septem, procurandæ laboranti Populo tuo quietis ac tranquillitatis cupidus mirum in modum felicem armorum tuorum cursum interrumpere, & redditis Religionis in gratiam clarissimis victoriarum tuarum monumentis, pacem hosti honorificam eandem & quaestuosissimam concederes. Exarsit enim verò populi rerum tuarum amantis studium; & ratus ali-

quod

quod ex eo fœdere gloriæ tuæ detrimentum importari, nihil non fortunarum suarum devovisset, ut bellum paci ejusmodi præponeretur. Non prævidebat scilicet, quàm lætis futurus esset fructus illius pacis, quæ Philippo Nepoti tuo Regnum Hispanicum aliquando provideret.

Quod ubi tempus expetitur advenit, quo Philippus Hispanici Imperii hæres nuncupatus discederet à nobis novi regni habenas moderaturus; in hoc recenti gaudio, quod tuâ causâ susceptum erat, non desuere tamen, qui plausibus lacrymas miscerent, dolerentque eripi sibi de tuo sanguine Principem, quasi vererentur, ne dum nostris opibus, hoc est Principibus frueretur & superbiret Hispania, tua Galliam soboles aliquando destitueret. Audiit Deus suspirantium voces, & fidelis populi in suos Principes studium approbavit. Decevit vel ex hoc ipso tempore ablati Gallis Philippi detrimentum resarcire, ne avulso ex stripe Borboniâ furculo, aureus alter deficeret.

Nam quid melius, quid optatius contulisset? quid possit esse tam lætum, tam acceptum genti illi, quæ suos Principes in deliciis, in amoribus habet, quàm si longa ac beata eorumdem series contingat? Quod aliud virtutis suæ præmium Galli cupidius ambiant, quàm si in regiâ domo nunquam deficiant illi, quorum salutem, gloriam, utilitatem fortunis, opibus, suâ ipsorum vitâ antiquiorem arbitrantur?

Sic & olim ipsum Britannia Ducis parentem Augustum in iis temporum adjunctis Deus Gallia donaverat, quibus per continuum gravioris belli decennium Populi regios conatus impensius adjuverant, & majora pietatis, obsequii, virtutisque monumenta præbuerant. Sic Augusta Delphini conjux, quam vellemus esse hodierni gaudii partici-

pem, dotale munus unà cum pace, Burgundionum Ducem attulerat.

Dicite vos, quicumque egregiam in illo superiori bello navavistis operam, an vestri studii vos pœnitet? an putatis vestros labores malè compensatos, quorum gloriosissimus exitus fortunatum Delphini matrimonium, & fortunati matrimonii fructus, Dux Burgundionum exstiterat. Quàm dulce vobis fuit, quàm honorificum, cum ille regionum exercituum imperator, duobus annis proximis, prudentiæ, sagacitatis, solertiæ, magnanimitatis exempla copiis admirantibus sufficeret! cum incuteret metum hostibus; cum imparibus viribus, præstantes robore ac numero lacefferet; cum suæ militiæ primitias victoriis ac triumphis consignaret; cum militem in castris liberalitate, officiis, benevolentia conciliaret; cum in ipso pacis sinu spretis ludorum ac spectaculorum oblectamentis, nihil nisi maturiore consilio dignum vel diceret, vel saperet; quàm dulce, inquam, vobis, quàm honorificum fuit jactare vos posse! Hic Princeps tot virtutibus præditus, omnibus absolutus numeris, nostrorum laborum fructus est, merces obsequii, præmium virtutis amplissimum. Tam pretiosum munus, tam certum imperii præsidium ac decus Gallia non haberet, nisi hoc piguore devotissimam in Ludovicum populi sui fidem ac pietatem Deus compensare voluisset.

Quod olim Deus ad compensandam Populi Gallici fidem, constantiam, virtutem contulerat, id ipsum hodie novo beneficio renovavit; & ad levandum hodierni belli indefessum laborem, ad remunerandam obsequiosam alacritatem, ad suscitandam subsecuturæ brevî fortunæ melioris expectationem, promissum jam in auspiciatissimis Augustæ Adelaïdis nuptiis, ad lætitiâ ac felicitatem, Britannia Ducem largitur.

Plau-

Plaudite igitur vobis felices nimium fortuna-
tūque populi, quibus jam licet esse votorum com-
potes; agite perennes immortalī Deo, pro con-
cesso vobis munere, gratias; erumpat novum a-
liquod insolitæ & inusitatæ lætitiæ argumentum; sed
quid vos horret aut stimulem, quasi per vosmet
ipsi recentis beneficii magnitudinem non sensisse-
tis?

Nam quid ergo sibi volunt tam frequentes, tam
sinceræ lætantis, exultantis populi significationes?
quid loquuntur aliud, quæ veniunt ex universis or-
bis Gallici partibus literæ? quid non excogitavit
ingeniosa civitatum solertia, quo studium lætiti-
amque testarentur? quis in hac Urbe Regni prima-
riâ non certavit æmulatione laudis, & palmam de-
votissimi studii non ambivit? quod spatium ab ortu
faustissimo novi Principis à publico gaudio vaca-
vit? Tantum non hac ipsâ horâ dicenti non obstre-
pitur, vix Oratorem sustinent, qui præreptam sibi
continuandæ lætitiæ moram conqueruntur.

Agite, nihil ego vos moror, indulgete, per
me licet, tam legitimis gaudiis, facite obsequioto
in Principem vestrum studio, ardentissimâ placen-
di voluntate, ut novum aliquem Deus adjiciat feli-
citatū cumulum; ut in hæc gaudia, quæ fecit, im-
pentiendo Regium Infantem, beatâ demum pace
ac tranquillitate concludat.

Quamquam numquid in ipsis Britannia Ducis
Natalibus felix optatissimæ pacis omen Superi jam
fecerunt? Nihil conferret ad suscitandas spes quas-
cūmque lætissimas, quod parentem habet Augu-
stam Adelaïdem; cujus mite ingenium, suavis in-
doles, mores urbani, plena humanitate societas ac
consuetudo nihil habent cum bellis commune;
quam gratiæ omnes ac Charites sequuntur fidissi-
mæ pacis comites; cui Pax ipsa pronuba in auspi-
catis nuptiis adsuit, & dotale munus suffecit? Ni-

hil victoria, proximus ad pacem gradus, præfagiret, cujus felix partus est Dux Britanniae: Victori-
am dico, quæ Infanti Regio inchoanti vitæ primordia Parentis laureas ac palmas aggeffit?

Quid dicam quòd eâ prodiit anni tempestate, quæ copiam, ubertatem & abundantiam sonat? quòd nascenti festivi ignes Joannis Præcurforis ortum celebrantes præfulserunt? quòd inter secundos undecunq̄ue armorum exitus, felicia pacis ac tranquillitatis omina, procreatus est? Vivite in tam justâ lætissimarum rerum expectatione, felices iterum atque iterum populi. At vos fortunati tamen inter cæteros, Aremorici, gens amica, bellicosa natio, populus amabilis. En vobis dignus indole, dignus animo studioque vestro novus Britanniae Dux exoritur, qui referat cum nomine tot Britanniae Ducum virtutes, & intermortuam laudem tanto intervallo revocet. Erit, nolite dubitare, pietatis studio, fortitudine animi, suavitate morum spectabilis, ut Carolus Octavus. Populi pater vocabitur, ut Ludovicus duodecimus. Literatos fovebit, & ipse polioribus excultus literis, ut Franciscus Primus. Magnificentiam in Aulâ, in spectaculis apparatus exhibebit, ut Henricus secundus: neque ut ille patietur nomen tam speciosum senescere, sed in numerosâ sobole propagatum venturis ætatibus ostentabit.

Tempus est, ut ad te nostra redeat Oratio, Ludovice. Ecce compos votorum habes, quod unum ad lætitiâ optandum esse videbatur. Dederunt tibi Superi in Regio Pronepote certissimum benevolentiae suæ pignus. Exstitisti testis publici gaudii, & in tantâ populi tui alacritate perfensisti, quàm memor ac gratus impensum sibi munus exceperit. Quid restat, nisi ut ipse memorem ac gratum Deo te præstes, & apertum populi tui obsequium,

quum, sincerum amorem remunerare non grave-
ris.

Id jam fecisti tu quidem, cum te jubente uni-
versæ Galliæ templa gratiarum actionibus personu-
ere: cum persolutis eorum nominibus, qui in
vinculis detinebantur, custodiarum postes ac repa-
gula revellisti. Sed est aliquid præterea quod à
te pro jure suo Deus exigit, quod ipsi votis omni-
bus petimus amanter ac precamur; scilicet ut,
quam tu in formando Filio Delphino, in educandis
Nepotibus piam sollicitudinem fidelémque operam
attulisti, eandem in instituendo Pronepote bonus
impertias. Gaudeat, exultet, triumphet Gallia,
dum crescente sub disciplinâ Ludovici Magni Regio
Puero, videbit efflorescere in ipso virtutes illas,
quas miratur in Parente, suspicit in Avo, in Proavo
obstupescit.

Neque verò labor ille, quem impendes, erit
sterilis, aut mercede vacuus, Regum beneficen-
tissime: dum juniori Pronepoti pietatis sensus, Re-
ligionis studium, quo flagras, inspirabis; dum te-
neram mentem formabis ad grandia; dum regnan-
di artem optimam edocebis; dum egregia docu-
menta, melioribus facinorum tuorum exemplis
confirmabis; senties effervescente in Augusto Pue-
ro virtutum igniculos ac semina quæ sparseris; ad-
mirabere postmodum eundem ad magna quæque
inflammari: excipies victorem triumphantémque,
ut ipsius Patrem & Avum excepisti; denique per-
videbis non explendam esse generosi Pronepotis
æmulationem, nisi te ipsum universo
orbi, tui simillimus, aliquando
repræsentet.

Oratio habita die III. Idus Jul. An.

M. DCC. IV.

AR S



ARS DICENDI
 QUALEM RHETORES
 IN SCHOLIS DOCENT
 A RECENTIORIBUS
 TEMERE OPPUGNATA
 VINDICATUR.
 ORATIO VII.

Confidentes plus æquo, ne dicam, audaculi
 fortè nos videbimur, qui nostris de rebus lo-
 cuturi præter morem ex hoc loco tam fre-
 quentem Ordinum omnium confessum vocare non
 dubitaverimus. Eminentissime S. R. E. Cardinalis *
 Illustrissimi Ecclesiæ Principes, Præsides Illustrissimi
 Amplissimi Senatores, Viri omnium Ordinum Or-
 natissimi.

Nam quid vos attinet varias audire controver-
 sias, quæ Literarium Ludum agitare solent, aut ea-
 rumdem arbitros ac iudices interpellari? Tunc
 licuit vestram ambire præsentiam, cum in ijs argu-
 mentis versaremur, quæ recentem lætissimam re-
 rum memoriam non sine novo voluptatis sensu re-
 vocarent. At qui nihil aliud proposuerimus hodie,
 quàm tueri jura Artis illius quam exercemus, &
 contra obtrectatorum invidiam, nostram in dicendo
 studen-

* Aderat Eminen. Cardin. Estraus.

studendoque rationem palàm approbare, an non debuimus subvereri, ne alienam ab eruditis auri- bus materiem aggredieremur?

Quanquam, quòd causarum Actoribus in Foro, quod in Lycæo suo Philosophis, quod Academicis in cœtibus suis, & licet, & omnium calculo comprobatur, cur id nobis unis negaretur de rebus ad Rhetoricam pertinentibus apud sanissimos hujus controversiæ æstimatorum habere sermonem; maximè cum in Artem illam quidam ab aliquot annis homines insurrexerint, qui, si malevoli in nos animi suspitione carere possunt, rudes certè illius disciplinæ, quam tractamus, & in nostris studiis peregrini penitus atque hospites debent videri?

Equidem scio, Auditores, non defuisse jam suos tam justæ causæ percelebres patronos, quorum studio & eruditioni Respublica Literaria plurimum debet; atque inter cæteros illustrissimum Ecclesiæ Principem Brulartium, Virum non verendum minùs virtutis ingeniique gloriâ, quàm splendore generis & suæ dignitatis amplitudine conspicuum; qui, ut est Orator ipse magnificus, & peritus, si quis est alius, Eloquentiæ sanioris arbiter, inflictam Rhetorum nomini labem brevibus quidem ac compendiaris, sed decretoriis rationibus absterfit.

Tamen hærent impunè, & quotidie renovantur in triviis ac compitis plena maledictis Affixa, quibus Rhetorica proscinditur; deridentur illa, quæ traduntur in Scholis, Eloquentiæ rudimenta; & erit nemo qui probrum eluat? nemo se offeret pro communi causâ dicturus? Ego verò, Auditores, etsi novi plurimos in hac palæstra, qui tam honorificâ provinciâ defungi cum dignitate possint; tamen hanc ipsam vindicare mihi met hodie non dubitem; qui si cæteris in rebus inferior multis, uti revera sum, reputari debeam, meritis sanè in hoc

hoc

hoc militiæ genere stipendiis videar cum paucis comparandus.

At enim, inquit, qui nobis adversantur; quid quid Rhetorica molitur ad Eloquentiam, vel Præceptis vel Exercitatione continetur, quorum alterum inutile, ac supervacaneum, alterum etiã damnosum ac perniciosum reputari possit.

Contrã ego sic contendo, Auditores, eadem illa Præcepta, quæ Rhetorica complectitur, tam esse ad veram Eloquentiam necessaria, ut sine eorum subsidio comparari illa non possit. Hoc primum. Hanc ipsam Exercitationem, quã Rhetorica maximè nititur, tam utilem ad eandem Eloquentiam videri, ut sublatã illã, hæc manca penitus & otiosa sit: hoc Alterum.

Veniant igitur, qui Artem dicendi, qualem Rhetores in Scholis docent, temerè oppugnârunt, & dum geminã Orationis parte Necessitatem illius pariter atque Utilitatem atruimus, discant non inanem à nobis tractari Artem, & tam seriam quàm gratuitam omnibus bene dicere volentibus Scholam aperiri.

Tuum in hac causã suffragium, Cardinalis Eminentissime, nihil est quodd impensius ambiam, qui jam possim illud mihi certò gratulari, dum præsentia tuã dicentem cohonestas & attentione benevolã prosequeris.

Quantum enimverò pondus ac momentum Rhetoricis Exercitationibus debet accedere, quibus ille delectari videatur, quem Europa tota tam disertum, tam solertem, tam peritum in conciliandis animis experta est? Quare non aliunde velim augurari, de controversiã nostrã quid sentias, Cardinalis Eminentissime: non repetam inde Artis illius, quam exercemus, pretium, quodd instituti nostri rationem non semel collaudãsti: non abutar tuo ipsius testimonio, quod consignãsti in datis
nuper

nuper literis ad Vicarium Generalem nostræ Societatis, quam paternâ benevolentiam complecteris; quæ te vicissim ut parentem colit ac veneratur; ubi, quam uberes olim ex nostrâ disciplinâ fructus Collegii Romani Alumnus percepisses, amicè & indulgens fortè nobis plus æquo significabas. Sufficiat ad Rhetorici nominis commendationem, quòd non hodie tantum, sed aliàs sæpè nostræ concertationes Tibi placuerunt; Tibi quo, si quid tot obitu sapienter legationibus, tot confectis feliciter negotiis, creditur, perspicacior nemo in degustandis ingeniis, nemo iisdem regendis moderandisque aut dexterior aut fortunatior extitit: Tibi, qui tantam Estræo nomini laudem excelsæ mentis præstantiâ, sublimitate, facundiâ contulisti, quantam tot Heroës ab ipsis annis quadringentis armorum gloriâ pepererunt.

I. PARS.

Non est vacuum & inane, quod gerimus, Rhetoris nomen, nec leve onus ille suscipit, qui penitiores Eloquentiæ recludere aditus, & quod in hac Arte magis abditum atque intricatum est, expedire debeat. Imò quàm difficilis videtur & ardua res, sic appositè dicere, ut persuadeas quod velis; ita dominari hominum animis, ut, quos placuerit, cedere ac suscitare motus valeas; adèdè regere voluntates, ut easdem inclinare partem in omnem ad arbitrium possis; quàm operosum quidpiam est, sufficere rationem ac modum, quibus id efficias; aperire certum viæ tramitem, per quem inoffenso pede propositum finem assequaris; eam denique dispensare ac temperare præceptorum vim ac seriem, quibus utendis fias votorum compos, & in magnum Oratorem evadas.

Hic verò inclamantes audio qui Rhetoricam valere jubent tanquam inutilem, & præceptionum
usum

usum omnem amandant penitus ac proscribunt. Nam cur, inquit, quod pertinet ad convincendos animos aut inclinandas voluntates hoc sibi summat Rhetorica pertractandum; quasi Natura, Magistra melior ac potior, alienis præsiidiis indigeat, nec sibi sufficiat una, cum ut videat quod in uno quoque penitus est, tum ut proferre possit ex suo, quod esse persenserit ad vim faciendam magis idoneum? Nempe Rhetoricâ continet boni quidpiam, quod Natura non dictaverit prius, aut dictare etiamnum audire illam volentibus non parer?

Hæc sunt, Auditores, quamobrem Rhetoricæ studium eliminandum putent tanquam inutile ac supervacaneum, qui è Philosophicis commentationibus omnia metiuntur. At videant illi, amabo, quàm multas unâ cum Rhetoricâ facultates ac disciplinas proscribant. Nam quid sunt aliud disciplinæ omnes, quàm felices quidam Naturæ partus, quos totidem veluti scintillas silicum in venis abstrusas ingenii vis meditando extudit? Quid tanta Principiorum varietas ac multitudo, quibus tanquam fundamentis nituntur illæ, nisi dulces speculationis diuturnæ fructus, qui aspirantibus ad eandem laudem non læto minùs ubere proveniant?

Ergo Scholas vestras deinceps claudite, incendite plena illa eruditionis annosæ volumina, laborum vigiliarumque vestrarum spem & solatium vel inviti deperdite, Philosophi, Mathematici, Jurisperiti. Quidquid excogitatum à vobis solerter, quidquid scriptum ingeniosè, quidquid posteritati feliciter transmissum est ad stimulandam juniorum curiositatem, ad fuscitandos ingenii igniculos, ad acuendam mentis aciem, nullius hodie ponderis ac momenti est. Valeant illa quæcumque sufficitis discendi adjumenta, quibus instructi hætenus novelli Candidati, velut benignæ facis ad lumen, tenebricosos studiorum per Mæandros tutò incesserunt.

runt. Ecce nova lex à peritioribus Magistris edicitur, novum mandati genus emanat. Permittendi sunt propriis viribus teneri recentésque animi, præceptis illi vel documentis non egent, quibus Natura dedit ingenium, quod cogitando, meditando, speculandóque exercent. Exurgent brevi ex seriâ frequenique contemplatione novi Paschalii, novi Carthefii, quo propè modo prodeunt ex alvearibus apum examina, aut sicut illi, quos de fatidibus natos ferunt, cataphracti milites nascuntur ex improvísò, contra genus omne Præceptionum parati decertare.

Verùm esto; neque Magistris, neque Præceptionibus egeant cetera disciplina, ut perdiscantur; satisque comparati videantur ex se se, qui ad easdem pertractandas accedunt, si vim insitam bonæ mentis assiduâ meditatione promovere voluerint. At nemo tamen peritus Orator evadat, nisi magistrâ dicendi Rhetoricam adhibuerit. Nam cum disciplina illa, quæ dicuntur esse in contemplatione positæ, principiis immutabilibus certisque nituntur fundamentis, quæ nec locorum aut temporum varietati obnoxia sint, nec à diversis populorum moribus atque institutis dependeant; tum, quocumque terrarum diverteris, commodam habes ubique doctrinæ supellectilem; quæ, peregrinus & hospes ipse dum videberis, in eodem nata & comparata solo videri possit.

An est eadem Eloquentiæ ratio, Auditores? an est illa semper & ubique sui similis? Itane unum eundemque tueri potest ac retinere apud omnes modum, ut se hominum indoli, moribus, ingenio non accommodet; ut non inquiret in ipsam rationem locorum ac temporum; ut non degustet mentes sensusque eorum, quibuscum actura sit; denique ut tam varias induere se in formas, tam mul-

tiplex ipsa videri non debeat, quàm illi sunt, quorum uti commercio ac societate teneatur ?

Fulminat Athenis Demosthenes Entheo semper plenus afflatu, excandescit in Philippum, invehitur in Midiam, debacchatur in Elchinem, Solem, Stellas, Deos testatur. Nullas nisi vividas, acres, & ad perturbandos animos comparatas figuras adhibet. Si dicturus ad Populum Atheniensem, prodit in theatrum, illum admonet duriter, acriter objurgat, & nullâ vel generis, vel potentia, vel dignitatis habita ratione, eodem omnes ponit in loco.

Contra Tullius mirabilis in sciendis affectibus percellit primùm animos Orationis ampliudine, gratiâ, lepore, magnificentiâ : mox insinuat se solerter, & dum mentes suspensas tenet ac defixas rerum admiratione, aditum sibi facit in voluntates, easdem tangit, demulcet, flectit, quacumque vel tangi, vel demulceri, vel flecti possunt ; rapit illas denique vel reluctantes, & rapiendo suavitate quâdam perfundit.

Unde porro tam dissimile, tam dispar in utroque Oratore dicendi genus ? an quia acrior ac vividior indoles in Altero, in Altero mitior ac temperatior fuit ? Id certè prætexendum existimet, quod diversum Græci Romanique Populi ingenium nonnôrit. At quoniam erat Atheniensibus animus ferrox, superbus, levis, invidus, barbarum seditiosumque appetens, requirebatur illud dicendi genus quo percuteretur tanquam icinus fulmine, & coactus pati rationis imperium, sponte reciperet jugum, quod detestabatur. Ergo debuit Demosthenis Oratio ferri more turbinis & audientium cogitationes evertere, occupare sensus, destruere præjudicia, assentium extorquere. Hinc quot illi verba, tot fulgura diceres, quæ mentis oculos perstringunt, aciem heberant, caliginem offundunt ; quot sententia sunt, tot procellosos senseris ac furentes Avstros.

stros, qui quatunt animam suis de sedibus, & altissimas quasque opinionum radices evellunt penitus atque dissipant.

Romanis verò cùm erat natura mitior ac benignior, quæ vinci exarmarique humanitate ac modestiâ non erubesceret, tum noverat satis Tullius, non tam mentes esse percellendas, quàm demulcendas voluntates, inspirandum amorem potius esse, quàm timorem incutiendum. Hinc ille, quæ senserat tentari inflectique corda posse, convertibat illuc dulces illas gratiarum illecebras, quæ imparatos suaviter occupant, irretiunt volentes, vim inferunt minimè repugnantibus; & dum rerum omnium carissimam auferunt libertatem, nescio quid libertate dulcius in ipsâ serviendi necessitate sufficiunt.

Agite nunc, quotquot estis osores Præceptionum, & omnis bonæ disciplinæ emendatores; cuius erit ex vario multiplicique dicendi genere illud feligere potissimum, quod unicuique conveniat magis? & quoniam accommodare se hominum indoli, moribus, institutis debet ille, qui Oratoris munus suscipit, quis rudem & imperitum rerum tyronem erudiet? quis vim legum explicabit, institutorum rationem evolvat, populorum consuetudines, ritus, Religiones interpretabitur? quis in tantâ caligine præferet facem, & intricatas tot difficultatum ambages resolvat? Anima, credo, speculatrix, suisque unis attenda motibus intelliget, quid cæteri opinentur; rimabitur sensus varios, de moribus exterorum cognoscat, quo fit pacto affectus quisque, odorabitur? quò feratur, quò inclinet, quas adduci possit in partes, ex suis ipsa cogitationibus, sententiis, affectionibus metietur? Ergo fit Ars aliqua necesse est, quæ hac provinciâ defungatur, quæ in scrutandis naturis hominum, variisque

que ac distantibus inter se moribus cognoscendis versetur.

Sed quid vetera requirimus? Hæc ipsa, quæ reperitur apud varios Europæ populos ingeniorum morumque diversitas, quàm diversa efficit hodiæque dicendi genera, quæ nulla naturæ vis, nisi Artis instructa præfidiis unquam assequatur! Cui veniat in mentem, quantumvis illam meditando torqueat atque excruciet, Eloquentiæ genus illud, quod apud Orientis populos in usu est? Illi propioribus vicini solis veluti radiis afflati, luminosis ubique fulgentem ornamentis Orationem ambiunt: diceres mortalitatis oblitos in cælo semper versari, tam se efferrunt supra id omne quod terrenum est, & nihil præter Divinitatis ipsius nomina meditantur aut sonant!

Elatam verò, turgidam ac fastuosam Hispanicæ gentis in dicendo gravitatem æmulari cogitabit aliquis, si naturam unam in consilium adhibuerit? Quot illis verba, tot effata; quot dicta, tot oracula sunt. Nec Deus ipse, si quid Carolo Quinto Hispanorum Regi creditur, humano ore loqui si velit, magnificentius vel sentiat, vel loquatur.

Quòd si revivisceret hodie Tullius, & Romæ, quam olim Eloquentiæ suæ rapuit in admirationem, redderetur; an Romam in ipsâ Roma jam agnosceret, aut apud Romanos hujus temporis foret in pretio, nisi pristinum dicendi morem dedisset, & novam sectatus Eloquentiæ formam se se hodiernis Romanorum moribus accommodaret? Nam quis disertus inter eos imprimis & Eloquens? Quis tam subtilis in cogitando, ut mentis aciem effugiat; cujus laus non tam à solido sinceroque iudicio, quàm ab imaginandi solertiâ, non tam à simplici & ingenuâ naturæ imitatione, quàm à speciosis fucatisque luminibus reperitur. Quem crebrè
fre-

frequentésque Antitheses, argutiæ & acumina verborum, mollia pexæ juveniliter, & ad pompam phaleratæ Orationis lenocinia commendant: denique qui blandiri auribus feliciùs & adulari noverit, is diferti Oratoris palmam ferat, & reliquis faciliè præponatur.

Nos verò Galli, qui videmur nobis veram Eloquentiæ speciem ac formam sic effinxisse animo, ut, quod sentimus cumque vel loquimur, sublimitatem & excellentiam cum nativo lepore, gravitatem & magnificentiam cum ingenuâ simplicitate præ se ferat; an arbitramur laudem hanc, quam vindicamus nobis, ita naturæ solius esse propriam, nihil ut arti debeat? ut ut est; diffiteri certè non licet, quin hæc ipsa Eloquentiæ gloria, quam feliciter partam ambitiosè ostentamus, brevibus unius imperii angustiis circumscripta sit, neque ulterius propaganda videatur, nisi Artis beneficio novam veluti formam induat, & se ad variam populorum indolem, diversos eorundem mores aptet ac fingat. Quod nisi fecerit, Auditores, nihil est apud nos tam grande, quod Orientalibus tenne, depressum, humile videri non possit. Quam sectamur in dicendo nativam simplicitatem, hanc Hispani tanquam alienum quiddam à dignitate ac majestate Orationis despicient; temperatum denique moderationis & sapientiæ legibus dicendi genus, quod sequimur, veluti mediocris ingenii partum Itali cavillabuntur & illudent.

Nunc fare; quis naturam admonebit suis usque defixam commentationibus, quoties mutationem aliquam Eloquentia patietur. Est enim illa rerum earum de genere, quæ certam ac stabilem conditionem non habent; sed quod ingenii ac moribus usu venit, ut conversionibus ac vicissitudinibus obnoxia sint, id ipsum Eloquentiæ soleat adhærescere. Sic parens Oratorum Plato levem & in verbis posi-

D d 3 tam,

tam, Pericles deinde graviolem & fetam rebus Eloquentiam est confectatus. Fuit Crasso, Cottæ, Antonio multum discrepans dicendi genus ab eo, quo Romani veteres utebantur. Quid Plinium, Cassiodorum, Symmachum, Pacatum, Mamertinum, Ennodium loquar, quantum à Ciceronis magnificentiâ, vi, lepore, gratiâ defecerunt! Tamen suis illi omnes placere temporibus, nec placere potuissent, nisi consulissent Artem illam, quæ in excubiis veluti posita, & variis attenda mutationibus admonebat sedulo, quid sequerentur, & quam inirent viam temperandæ Orationis eorum moribus, quibuscum viverent.

Ecquid porrò de nobis ipsis dicemus, Auditores? An una semper eademque Eloquentiæ ratio placuit in Galliâ, aut pretium habuit & commendationem? Fuit tempus illud, neque tam distitum est adhuc à nobis, cum doctrinæ vis & eruditionis sincera laus partem in Eloquentiâ potissimam sibi vindicaret. Quo in genere suspexit olim Gallica Curia, & gratissimâ cum voluptate meminit etiamnum hodie Bignonium, Virum tam excultum Literis omnibus, sic in divino civilique Jure versatum, ita contritum totius cum sacræ tum profanæ Antiquitatis notitiâ, ut ab ipsius ore tanquam ab uberrimo fonte perennes doctrinæ rivi profuerent. Neque verò vel aruit in ipso, vel itetit fons ille rerum omnium copiosissimus, sed propagatus feliciter in nepotes Literariam Rempublicam fertilibus aquis pergit inundare. Testis ille mihi, quem gratulatur sibi Præsidentem Academia Scientiarum, quem & avitæ eruditionis dignissimum hæredem sic agnoscit, ut ab eodem ditatum sermonis lepore ac gratiâ patrimonium fateatur.

Mox verò ut excoli cæperunt hominum nostrorum ingenia, & quemadmodum reliquis in rebus, ita & in Literis politiolem elegantiam adama-

re,

re, visa est etiam ire comptior & ornatioꝛ Eloquen-
tia, & Orationis flosculos ac Veneres diligentius
confectari. Neque verò parùm illa debuit his tem-
poribus Guillelmo Lamonio Senatùs Principi, qui,
ut erat ipse elegantissimo ingenio, & omni genere
Literaturæ politioris excultissimo, quoties perora-
bat in Senatu, quod frequenter faciebat, sic doctri-
næ forensis apparatus condiebat ubertate & amœ-
nitate sermonis, ut tam perfectus Orator, quàm cu-
mulatus omni laude Magistratùs audiret.

Quò certè minùs quis mirabitur, Lamonium
Filium, qui de Patrono Æquitatis ejusdem arbiter
ac Judex factus est, * uti in omnibus, sic in dicendi
gratiã visum fuisse Parenti simillimum, dum Æqui-
tatis Jura unã cum Talæo, quem ereptum nobis re-
quirimus, sustineret. Suspexit Curia multos per
annos geminum illud Fori lumen, & in utriusque
patrociniò Gallia decus ac præsidium experta est.
Talæus, peracri quanquam vir ingenio, minùs na-
tam ad Eloquentiam indolem, longo constantique
labore sic perfecerat, ut Orator natus videri posset;
Lamoniùs naturã disertus & eloquens novam ab
eruditione gloriam & politiorum Artium culturã
mutuabatur. Illius vivida, pressa, incitata fereba-
tur Oratio; hujus magnifica, sublimis, limata ince-
debat, Talæo, quod ab actionis elegantia deesse
poterat, id gravitas verborum, & sententiarum
majestas facillè compensabat; Lamonio laudes ad
cæteras hæc singularis virtus accedebat, ut, quæ
graviter diceret ac copiosè, vocis & actionis di-
gnitate decoraret.

Neque prætermittendus ille nobis, quem suc-
cessorem habuit Lamoniùs, quem & sublatum ante
tempus non Curia tantùm, cui disertissimè pero-
ranti toties applausit, sed boni omnes, quos pa-

D d 4 tro-

* *Ab Oratoris in Senatu Regii munere ad Insulati
Præsidis dignitatem conscenderat.*

trocinio adjuvabat, desiderare non cessant; quamvis in carissimo Fratre vivam ac spirantem sui ipsius imaginem reliquerit. Erat in eo naturalis, non fucatus nitor, sano solidoque iudicio plena mens, quæ nunquam declinaret à vero, sed in difficillimis intricatissimisque rebus propositi tenax usque damnaret, quod damnandum erat, quod erat absolvendum, absolveret.

Atque utinam Oratores illi præstantissimi meditationibus nostris permisissent tot absoluta Eloquentiæ sanioris exempla, quàm uberes inde præceptionum utilium fructus Rhetorica nostra colligeret! quos novi illi correctores & emendatores studiorum, quantumvis speculando se excrucient, nunquam comparabunt.

Saltem si studiorum ratio officiorumque necessitas paterentur adesse nos in Foro assiduos, quoties aut in momentis controversiarum expendis, aut in quocunque alio argumento versantur, qui Actoris Regii partes jamdudum exercent, quàm multas liceret observare virtutes, unde Eloquentiæ Candidati sibi exemplum sumerent! In altero copiosum mirarer, fertile, inexhaustum dicendi genus, tantam ad pervidendas, expediendas, resolvendas causarum ambages facilitatem, ut cum imparatus plerumque accedere cogatur ad dicendum, paratissimus tamen semper videatur accessisse.

In Altero, qui stare maluit cum Patronis, quàm sedere cum Judicibus, concisam ac pressam Eloquentiam proponerem. Is enim, uti perhibetur apud Ciceronem extitisse famosus ille Scævola, cum peracutus est ad excogitandum, quid in jure aut in æquo verum sit, aut non sit: tum verbis ad rem cum summâ brevitate decidendam mirabiliter aptus est.

Sed

Sed omnium instar foret augustissimi Senatûs Princeps Harlæus, qui admirandæ quidem, at vix ac ne vix tamen assequendæ exemplum Eloquentiæ quotidie sufficit; tam illa nobile quidpiam ac sincerum præferebat, certum antiquæ nobilitatis relictique animi specimen; cujus hæc singularis in dicendo virtus est, ut vox redundet nulla, nulla non videatur axiomatis habere locum posse: quem laudatorem qui habere meruit, is præconem alium non ambiat, aded segetem laudandi omnem brevè elogio exhaustam fuisse, quantumvis laudis ambitiosus fateatur.

Quanti est, Auditores, ad Eloquentiam, ut opes istæ non pereant; sed ars sit aliqua, quæ divitas in multis ita colligat, ut contra novitatis fastidia, & nativam temporum inclinationem eisdem securitatem præstet.

Nam si ad Linguæ Gallicæ perfectionem tuendam promovendamque pertinere vitum est, ut ex præstantissimis delicatissimisque ingeniis Academia institueretur, quorum ex arbitrio refrigerentur vocabula, quæ senescerent, & nova, quæ procudisset usus, in honore haberentur. Si societatis illius auctor atque institutor Richelius, vir ille excelsæ mentis præstantiâ, dexteritate ingenii, eruditionis laude, amore Religionis, rei Gallicæ studio, rebus cum pace, tum bello præclare gestis inferior nemini, nihil ad propagandam nominis sui famam, nihil ad Galliæ ipsius honorem, cui serviebat unicè, fecit illustrius, quàm cum sermonis patrii gloriam ab injuriâ temporum & vicissitudinum necessitate vindicavit; supervacaneum & inutile videbitur esse Artem aliquam, quæ præsit variis Eloquentiæ vicibus, easdemque regat ac moderetur? Necessarium censebitur Tribunal illud, in quo severum fiat de locutione, de vocibus examen; nullum erit quod de rebus ipsis pronunciet? Intererit plurimum ad Gal-

lici nominis dignitatem, nullum ut teratur usu vocabulum, cui nobilissimi pariter ac scientissimi confessus suffragatio suum decus ac pretium non fecerit? Interim Resp. literaria non existimabit esse rerum suarum, à maledicentium contumeliis tueri Rhetoricam, quæ, pro ratione temporum dum admonet, quid deceat, quid conveniat magis, quod placeat in Foro dicendi genus, quod delectet in Aula, quod facris etiam in concionibus sit aptius ad persuadendum, suam Eloquentiæ asserit laudem, eidemque fatales inter rerum omnium vicissitudines, à quibus nec ipsa præstari possit incolumis, certum quoddam jus perennitatis impertit.

Haftenus, Auditores, quàm non inutilis ad Eloquentiam Rhetorica videri debeat, demonstravimus. At inclamant adversarii; non inutilem modò, sed & perniciosam juventuti à nobis Artem exerceri: id porro quàm perperam in nos jaçtitent, alterà Orationis parte demonstrandum.

II. PARS.

Nam unde tandem tam exitiosi juvenum animis videri debemus nos Rhetores? scilicet, inquit illi, Juventutem occupamus in nugis, dum melioribus studiis ac disciplinis esset imbuenda; quo fit, ut teneri recentésque animi, dum nihil nisi puerile sapere docentur, pravas induant quacumque de re opiniones, & res maximè serias, etiam cum adoleverint, tractare pueriliter assuescant. Nam quid aliud facimus (insultant illi ferociter) dum puero- rum memoriam inani præceptorum multitudine obruimus, dum barbara mille nomina ingerimus, dum mentis aciem in tornandis conformandisque Periodis obtundimus, dum illustrandam Figuris ac Tropis orationem præscribimus, dum in ludicris argumentis stylum solertiàmque deterimus?

In-

Intelligere potuistis, Auditores, ex iis, quæ de Præceptis Rhetoricæ jam diximus, num sit illud unum quod agamus in Scholis? At hoc ipsum, quod reprehenditur, an inventum Juventutis in perniciem debet reputari?

Liceat appellare ad vestram fidem, Auditores; liceat interpellare eos in nostrâ causâ, qui suam gravioribus in rebus perspicaciam atque æquitarem approbant. Vestrûm est arbitros esse ac judices hodiernæ controversiæ; vestrûm est cognoscere, quam ineamus in instituendâ Juventute rationem; ne dum liberos vestros nostris curis ac laboribus erudiendos pro vestrâ humanitate traditis, tam singulari benevolentia abuti videamur.

Ergo non licebit Juventutem in scribendo laudabiliter occupare? damnosum videbitur, quos instillando præcepta extuderimus, ingenii igniculos excipere: &, ne dissipentur illi, eisdem veluti pabulum in scribendis argumentis ministrare? abutimur otio Juventutis, dum in ludicris Exercitationibus animos ad majora præparamus? Nam cur in nobis unis damnabitur, quod in reliquis Artibus laudem ferat atque commendationem? Non exercentur in delineandis calamo vel carbone figuris levioribus, quos pingendi gloria incendit atque extimulat? Non ipsi statuariæ artis magistri imitantur in cerâ vel argillâ vultus illos, quos vivo ducere de marmore, vel in ære spirantes cudere meditantur? Non decurrunt centies in Circo, qui ad palmam equitando partam aspirant? Non Heroës fortissimi Indicris in certaminibus experti sunt, quod medias inter hostium acies essent aliquando præstituri? Non ipse Dux Burgundionum fortissimus edere voluit in Castris Compendiensibus specimen aliquod illius fortitudinis atque sapientiæ, quam non ita multò post in Brisaci expugnatione, quam in regendis Regiis exercitiis exhibuit?

buit?

buit? Nos interim, quorum studio atque industriae formandi instituendique Juvenes permittuntur, quorum alii cum in orandis, tum in referendis causis, alii in erudiendis populis, alii in habendis sacris concionibus operam suam atque solertiam olim collocabunt; abuti censebimur eorundem otio, aut etiam heberare mentis aciem, si jam tum auspicemur levia quaedam Artis illius rudimenta, quam grandiores pertractabunt? Si varia sufficiantur illis Oratiuncularum argumenta, in quibus se ingenii acies exerceat? si jubeantur identidem magnorum Oratorum sustinere personam, & de gravibus rebus, etiam in amplissimo cœtu, habere sermonem? Si Scholæ nostræ nonnunquam mutantur in Forum, & speciem referant augusti Senatûs, ubi sit alter qui accusantis, alter qui defendentis partes tueatur? Ubi nec desit etiam, qui quod dictum est utrinque verbosius, id pressius retractet denuò, & judicis atque arbitri partes sustineat? Si ponantur in medio controversiæ ejusmodi, quæ fictæ sint licet ac ludicræ, plerumque tamen in contentionem cadunt, & in judiciis ipsis verè ac seriò agitantur?

Id tamen in nobis si reprehenditur, nullo habebuntur loco tot eruditæ Quintiliani Exercitationes in gratiam Juventutis elucubratae? refingendus erit ille mos jam inde ab Augusti temporibus usurpatus & ad nos prorogatus usque, ut scribendo Candidatorum Rhetorum stylus acuatur? Irridendus Demosthenes, qui sic præludebat ad eam, quam est assecutus Eloquentiæ gloriam, ut vastas solitudines, vallium anfractus ac fluminum ripas iis, quæ scripserat per jocum, personaret? Explodendus ipse Cicero, quem non pige- ret, cum Athenis versaretur, tantam fictis etiam in rebus adhibere mentis contentionem, quantam vel in accusando Catilinâ, vel in Milone defendendo deinceps adhibuit? Adeo ut ipsum in re simili
 decla-

declamantem Apollonius Molo cùm audisset, raptus in admirationem exclamavit; itane, quod unum superest Græciæ ingenii & Eloquentiæ decus, Tullius auferat, & Romam spoliis nostris ditet! Hinc est, quod Tullius ipse non propriâ tantum, sed clarissimorum Oratorum, quos viderat, doctus experientiâ fatebatur, nullam rem esse, quæ tam ad dicendum proficeret, quàm scriptio.

Eant nunc osores institutionis bonæ, & pristini, quem sequimur, moris interpolatores; novam ipsi magisque expeditam ad Eloquentiæ laudem aspirantibus viam aperiant. Scilicet arida, sterilis ac jejuæ commentatio perficiet, quod exercitatio sedula non inchoavit, aut juvenilis animus assidua meditationis laborem importunum feret, nisi prodire impatiens ingenii vis ac solertia inveniat quidpiam, in quo se exercent?

Nimirum hæc est ingenii indoles præsertim in junioribus, ut otiosum esse non possit, neque tam se amare soleat, quàm cùm partum aliquid à se feliciter contemplatur. Tunc enim miratur sese, & propriæ virtutis conscia mens, cujus adumbratam novo in fœtu videt imaginem, extimulat se magis ac magis; neque jam deterretur ullis studiorum molestiis, dum præstantioris partus expectatione sustentatur.

Quantquam hoc ipsum ferunt ægrè viri perspicaces, & tanquam rem perniciosissimam Juventuti criminantur, quod delectetur nugis puerilibus, quas dediscere illam aliquando oporteat. Næ damnosum quid revera tractant & omittendum penitus, qui Rhetoricis Exercitationibus occupantur, si perdenda grandiores habeant, quæ juvenes didicerint!

Verùm an tam sterilis & infuuctuosus hic labor est, Auditores, ut illius pœnitere quem debeat, si fingere stylum & acuere, si concinam ac poli-

tam

tam informare orationem, si eandem ornare verborum luminibus, gravitate sententiarum noverit? si tractare possit omne genus dicendi? si laudare comiter, officiosè gratulari, joculari ingeniosè, differere subtiliter, narrare festivè, & cum opus est, etiam vehementer insectari percalleet? Jam si Figurarum, quas adversarii nostri tantopere vellicant, utum illum sit affecutus, vim earum omnem ita persenserit, ut, quæ ad ciendos varios animi motus & inclinandas partes in omnem voluntates idoneæ sint, eas adhibere scienter & collocare valeat; an videbitur tam periculosè perdidisse tempus & operam, ut, cum adoleverit, rerum iutarum memoriam obliterare penitus teneatur?

Teites vos appello, magni Oratores perfectique dicendi magistri, quos Curia suspicit, quos omne Forum admiratur, quibus perorantibus confertissimi cætus applaudunt. Itane vos impensæ olim in Collegiis operæ pœnitet, ut contritam male adolescentiam vestram desideretis? ut extinguere studiis Rhetoricæ igniculos ingenii senseritis: ut nata jam ad veram sinceramque Eloquentiam indoles grave detrimentum ex nostris exercitationibus acceperit? ut in evertendis præjudicijs, quibus tenera mens imbuta fuerat, plurimum laboris adhibere contigerit?

Vestram fidem, vestrum judicium, amplissimi Senatores, viri omnium ordinum, quotquot hic adestis, sapientissimi, qui vestrâ, qui cæterorum experienciâ fecistis aliquod nostrorum studiorum periculum; an persensistis ad hunc usque diem noxiam juventuti exitisse, quam inimus ejusdem instituendæ & erudiendæ viam? Non ita se res habet; aut certè indulgentes vos nobis plus æquo, ne dicam parùm sinceri, qui, quoties venitis ad nos, quod honori ducimus, hanc ipsam, quam profite-mur, Artem tam extollitis; qui eum, quem ob-

ser-

servamus, morem vestro calculo comprobatis; qui nostra studia reliquis omnibus, quibus Juventus incumbit, facillè anteponeitis; qui nihil tam commendatis industriæ nostræ, si qua est, liberorum vestrorum, aut propinquorum, aut amicorum in gratiam, quàm ut pretiosum, sic enim vocatis illud, unius anni aut etiam biennii tempus, quod ponendum habent in Rhetoricâ, crebris & assiduis Exercitationibus conteratur; quibus nihil tam placet, nihil tam jucundum solet accidere, quàm si agitare causas interdum vobis præsentibus, & auspiciari jam tum Oratoris officium jubeantur?

Sed quid ego vos indulgentes nobis plus æquo, aut etiam minùs sinceros appellem, nisi vester animus cum linguâ consentiat? Næ prudentes vos parùm, parcite si dicam, Auditores, næ vos eorum Juvenum, quibuscum aliqua necessitudo vobis intercedit, parùm amici, quos damni illius memores, quod ex nostrâ disciplinâ pertulistis, non pigeat eandem ipsis providere institutionem, & adulescentes vobis carissimos perniciosissimis studiis permittere. Ecce novum exurgit Academiæ genus, novum aperitur Lycæum, nova instituitur Palæstra, in quâ se juvenum animi feliciùs exerceant. Illuc adite celeres, convolate frequentissimo comitatu, perducite juventutem vestram ad felices illos fortunatosque fontes, unde tam uberes Eloquentiæ rivus profluunt; sufficient illi, unde omnes bibant affatim, & disertis Oratores repente prodeant. Præsidet illic quovis Apolline Numen præsentius, quo feliciter afflati eos haurient spiritus, qui dicendi vim, ubertatem, elegantiam inspirent.

Fallor; suspicione dissimulationis caret tam publica vox, & communis sapientissimorum hominum suffragatio: & quantumvis explodendas & eliminandas conclament exercitationes nostras

Magi-

Magistri recentiores, retinendum putant antiquum morem, nec sibi illudi patiuntur.

Hic verò, si liceret, Auditores, investigare sensus hominum, & intimas subire atque expiscari meditantium alius animorum cogitationes, inquirerem ego lubentiùs, quod illi sibi proposuerint novitiorum emendatores consilium? An quia pulchrum est unum videre cæteris acutiùs, & quod omnium fugit perspicaciam, id ab uno potuisse deprehendi? At periculosa plenum est opus alex interponere se judicem, ubi nulla controversia est, & cum nullum erroris vestigium appareat, emendare velle errorem. An facere fucum speraverunt doctrinæ suæ novitate, vetus institutum dum carperent; & quia novitas ipsa multa habet, hac præsertim atate, ad demulcendos animos illecebris, an magnum hinc sibi ad tuendam suam hæresim fore præsidium crediderunt? At nescio quo cecidit ipsorum fato, ut Classicum frustra cecinerint importuni buccinatores, neque Resp. Literaria quæstio quemquam à suis partibus defecisse, ut ad alienum vexillum transfugeret. Quid ergo dicemus esse? An adulari fortè voluissent præstantissimis quibusdam Oratoribus, quos caruisse nôrunt Aca- demiarum luce, & intra domesticos parietes prælusisse ad illam gloriam, quam dicendo consecuti sunt?

Absit, Auditores, ut debitam illis, si qui sunt ejusmodi, laudem præreptam velim. Imò fatebor ultrò, eosdem videri tantò laudandos magis, quantò difficiliorem viam ad laudem ingressi sunt. Verùm quot illi sunt, amabo, qui partem Eloquentiæ decus uni industriæ suæ debeant? qui primordia gloriæ illius, quam adepti sunt, ab Rhetoricis Exercitationibus non inchoaverint?

Hic

Hic verò triumphant adversarii, per me licet, & exemplis tam singularibus ad explodendam infituti nostri rationem abutantur. Quasi verò, quod prodigiū cuiusdam loco est, id trahi in argumentum debeat, & paucorum exemplum possit experientia multorum prevalere.

Quàm ampla enim verò mihi surgeret Orationis seges, si vellem, aut si potius multitudo sineret, appellare conspicuos totâ Curiâ & omnium suffragio præstantissimos Oratores, qui prima eruditionis illius atque facundiæ, cui quotidie Senatus applaudit, posuere nostris in Academiis fundamenta, eosdemque purissimos ac necessarios veræ ac germanæ Eloquentiæ fontes agnoscere non dubitant. Nam quid aliud faciunt Exercitationes illæ, quibus in Rhetoricâ Juventus indulget, nisi ingenii igniculos veluti cineri dolofo suppositos excutiant? nisi scaturientes undique nativæ solertiæ uberes rivulos sedulo colligunt, & per defæcatos canales fluere eosdem perdocent? Hinc fit, ut eorum non pauci, cum recedunt ab officinâ nostrâ tanquam recentes ab incude numi; & ipsam Fori auctoritatem non veriti, specimen aliquod partæ apud nos facundiæ præbent; rapiant oculos in admirationem sui, & non rudis tantum aut adumbrati leviter, sed exercitati jam diu multumque, Oratoris formam exhibeant.

Testis adest locuples Juvenis ille Magistratus, cui in Præsidiali Curiâ Actoris regii partes tuenti universa Civitas toties applausit; si tamen juvenis ille dicendus est, qui juvenile nihil habeat præter ætatem. Testis, inquam, ille locuples, quale ad summam Eloquentiæ laudem Rhetoricæ Exercitationes momentum conferant. Adolevit scilicet inter nos felix illud ingenium, & natam ad magnam quæque indolem pro virili parte promovimus.

Ee

Ne-

Neque verò jam tum nobis latuit, qualis & quantus Orator esset brevi futurus, & quam in ipso, quoties aut agitat causas, aut perorat, hodie mirantur omnes, quam ipse miratus sum non semel ingenii vim, sententiarum gravitatem, sermonis elegantiam, Actionis concinnitatem & affluentem omni lepore oris totiusque hominis gratiam, id ipsum omne, quantum quantum est, Rhetoricis in prolusionibus & fictis in causis præferbat. Quò non pertingeret ille, ubi numerus annorum accesserit? Quanquam quò evolare possit altiùs, quem communi voce jam ambivit Principem Patronorum Collegium, & dignum tam conspicuo munere judicavit.

Ignoscite, Auditores, hìc si visus sim propensissimo meo studio indulgere plusculum. Est hoc laborum nostrorum solatium & merces non invidenda, si, quam nobilissimæ Juventuti educationem impertivimus, eandem rei Gallicæ honorificam, & populorum commodis fructuosam nobis possimus gratulari.

Superfedeo pluribus, Auditores, & quoniam, neque supervacaneum, neque perniciosum multò minus videri debet Rhetoricæ studium, uti falsò jactitant ac passim circumferunt qui nobis adversantur; desinant illi tandem aliquando fucum facere inanibus præstigiis, & idoneam magis sterilibus atque infructuosis commentationibus materiam mutuenter. Non est tam exhausta subtilissimis Philosophorum ingeniis Metaphysica, ut amplam exercendæ perspicacitatis illius, quam nasci sunt, segetem non inveniant.

Nos interim eisdem, uti fecimus hætenus, vacabimus studiis: ac licet flagitanti mihi jam dudum missionem, & volenti ultrò decedere peritioribus, ulterius fuerit in eodem stadio decurrendum, nihil immutandum putem de pristino more docendi.

tendi. Felix fortunatusque satis, si, quibus placere impensius velim, sapientissimi omnium Ordinum Viri consuetudini nostræ suffragentur; doliturus, ut fatear quod res est, mirum in modum, si spe & expectatione nostrâ deterius probari eisdem contigisset.

Oratio habita Anno D. M. DCC. VI.



RES PROSPERAS
 HOSTIBUS
 MINUS GLORIÆ,
 QUAM RES ADVERSAS
 GALLIS
 PEPERISSE.
 ORATIO VIII.

NOVUM illud & insolens videri possit, quod perpetuam rerum ex voto fluentium seriem aliquo temporis spatio hostes interruperint; & quod non fuerat visum bellis superioribus, hocce præsentî bello fortunam sibi non iniquam penitus fuisse gratulentur. Illustrissimi Ecclesiæ Principes, Præsides Illustrissimi, Amplissimi Senatores, Viri omnium Ordinum Ornatissimi. Id porro factum quo tandem dicemus fato? an, quod gentibus non ita paucis contigisse legimus, homines nostri senserint animos senescere, & vitæ mollioris

E e 2 otia

otia pristinae virtuti anteposuerint? At nemo, neque hostis ipse sorte sua superbus quantumvis ac ferocitatem inferre nomini nostro labem sustineat. At redire tandem victis toties hostibus mares animi, & novos heroes suo in solo, veluti ex improvviso, natos esse gloriantur? At neque inter eos, quos ambitiosius jactitat rerum dominos Fœderatorum Natio quemquam exhibet, cujus solertiam ac fortitudinem, admiremur tantum, aut eandem pertimescendam admodum arbitremur. An potius Regnorum omnium luctuosam illam esse sortem fatebimur, ut manere eodem in statu nequeant; & cum venerint ad summum gloriae fastigium, nec habeant quod pertingant altius, necesse sit eadem retrocedere tantisper, & aliquam latis in rebus moram experiri?

Ut ut est, absit, Auditores, ut dissimulem, Fortuna quid peccaverit, & quae peperit mala, velim excusare. Fuerit illa levis & inconstans præter modum, retardarit cursum æquabilem regni florentissimi, quod nullae adhuc tempestates, nullae procellae conturbarent. At quae felicitatis nostrae arbitria voluit videri, frustra nocere gloriae pertentavit. Nichil habuit gloria nominis Gallici inter adversa quod perderet, & quae decus suum aspiranti Fortune non debuit, nullum ab eadem reflante sensit detrimentum. Inò novum genti nostrae ad gloriam aditum aperuit fortis inconstantia; & cum defecit à nostris partibus, ad alienas ut se converteret, plus nobis verae laudis, quam hostibus visa est contulisse.

Igitur ne invidemus hosti inusitatam Fortune melioris indulgentiam, neque cessantis apud nos sortis breve fastidium incusemus. Plus illi quodammodo debemus adversanti, quam faventi hostes debeant, & si quam illi ex prosperis rebus haberunt gloriam, majorem nos ex adversis reportamus.

mus. Sic est, Auditores, neque vereor, ne quid pronunciare videar ambitiosè magis, quàm verè; néve accuser, arripere velle ex adversâ fortunâ jactantiæ causam, quam secunda non sufficit. Vestrum erit, expensâ mecum diligentius rerum ad hoc usque tempus gestarum serie existimare tandem, hostine illudam iniquius, qui partam ab ipso felicibus fatis gloriam elevem ac deprimam; an aduler nobis plus æquo, & fortunæ sævientis invidiâ ad novam Gallici nominis commendationem abusus sim.

Hoc igitur contendo, Res prosperas Hostibus minùs gloriæ, quàm adversas Gallis peperisse. Quod utrumque geminâ Orationis parte dum conficio, quæso vos, Auditores, laborantem difficili, si unquam aliàs, ac lubrico in loco Oratorem eâ, quâ soletis, attentione ac benevolentia sustentate.

I. P A R S.

Non est posita levibus in rebus gloria, neque se ad illius apicem pervenisse quisquam confidat, nisi gloriosis & inficiandis nemini facinoribus omnium admirationem rapuerit. Occupare urbes, felicem fortiri certaminis aleam, ostentare adjectas imperio provincias, non ista sunt tam certa veræ gloriæ monumenta, ut victis gloriosius vinci non contingat unquam, quàm victoribus vincere gloriosum.

Esto, demus hoc hostibus, quod diffiteri non volumus, ut felicitatis nostræ cursum morari poterint: demulserint illi Fortunam naturâ suâ levem & instabilem; &, quæ vexillis Gallicis videbatur in omne tempus mancipata, avolârit à nobis illa temerè, inimica in castra ut fugeret. Habeant, nunquam, hostes sibi quod plaudant palmarum suarum victoriarumque memores. Verùm nisi dignus

& par expectationi fructus res feliciter gestas excipiat; nisi gloriam illam, quam sibi initio belli proposuerunt, adipiscendam, victores ferant; nihil est, quod ipsum victoriæ decus tam gloriosis, quam fortunatis in rebus reponendum putent.

Scilicet huc provec̄ta videbatur fortuna hostium, unus ut expectaretur hic annus, qui gloriam felicitati comitem adjungeret. Hæc spes illos sustentabat mirum in modum; neque tot inter adversarios, quos Gallia patitur, videbatur quisquam, qui decretorium tandem de nobis triumphum animo non præciperet.

Agite enimverò, an non Austriæ Duci partum am Hispaniæ Regnum Germania jaçitabat, & gemini exercitûs, cui Victoria famulabatur, freta robore, opimam hæreditatem spreto legitimi Principis jure sibi pollicebatur? An non triumphabat Anglia, spem demum omnem recuperandi deinceps Imperii Britanniæ Regi adimendam confisa, quæ constantibus ipsius ultoribus sterilis jam diu & infructuosæ defensionis fastidium ingenerari posse crederet? An non Hollandia dirimendam brevî sperabat fatalem sibi, ut fingit, Galliæ Hispaniæque concordiam, neque metuendum ultra ab importunâ utriusque gentis viciniâ sentiebat? An non & Hæresis suscitaverat apud se fortunæ melioris expectationem, & quos probare hostes debuisset, fautores ac patronos nacta, veteres ruinas resarcire meditabatur?

Dicamus quod verum est; an non & ipsi sensimus periculi, in quo res nostræ versabantur, magnitudinem? Et, quanquam neque despondere animum contigit, neque procellis ex omni parte ingruentibus infractos videri; tamen terribilis tot hostium apparatus, acceptæ cladis non unius recordatio, Victoriæ apud alienos exulantis conscientia metum incutiebat non levem, & suspensas an-

cipitis

capitis exitus expectatione fluctuantesque mentes
agrabant.

At non erit semper, vel ut votorum summam
assequantur hostes, vel ut contrariis utamur fatis.
Imò nec interrupta brevibus spatiis auspiciis tem-
poris felicitas nostram gloriam obscurabit. Sed
quemadmodum Solis facies nunquam solet esse
pulchrior, quàm cum immerfus umbris delituit tan-
tisper, & dissipatâ caligine purissimos mundo radios
ostentat: ita probata quodammodo rebus adversis
virtus Gallica, quod unum ad ipsius gloriam deesse
videbatur, invalescet aliquando, & lætorem ab
ærumnis fructum reportabit.

Nam quod habuerunt hostes hoc anno re-
rum prosperarum emolumentum? quid omnes,
quid singuli perfecere? An adegit Philippum V.
Austriae Dux ut calamitati temporum cederet; &
qui jam plaudebat sibi, jam triumphabat palam
tam opportunum nactus gloriae consummandæ
locum, an demum extremam operi tanto manum
admovit?

Gratulemur nobis potiùs, Auditores, & peren-
nes habeamus gratias immortalis Deo, qui talem
adhærescere nomini nostro labem non passus est,
votorum compos Hostis ut fieret. Jam enim Phi-
lippi res in tuto sunt, neque deinceps occurrit quid-
quam, quod ab æmulis fortunæ suæ pertimescat.
Jam revolat undique hostilibus è castris Victoria,
& officii non meriti, quod adversariis præstitit, tan-
dem pœnitens, veteres domesticosque penates re-
visit. Jam agnoscunt dominantis imperium, qui ju-
gum excusserant, & victoris experiri clementiam
malunt, quàm rebellionis pœnas subire.

Plaude tibi, Philippe, neque fortis vel iniquæ
contumeliam accusa: fecit illa nimirum, dum con-
tradicit Tibi, ut, quod jura sanguinis jam dederant,
imperio dignus videreris; & quod natura ipsa non

vindicasset, id singularis sapientia tua, ingens animi vis ac robur, & æqua gravibus in periculis constantia meruissent.

Neque verò debitâ frustrentur laude, qui Tibi tam fidele obsequium, tam sincerum rebus in difficillimis studium exhibuerunt. Gallos dicam, an Hispanos tuos, Philippe? Quanquam ambo tui sunt, digni ambo, quos eodem paternæ caritatis affectu complectâre. Tu pervidisti testis ipse propensissimam utriusque gentis in Te voluntatem; parem in utrisque fortitudinem, constantiam atque æmulationem suspexisti.

Galli pugnabant foris duce Te atque auspice, & impetentem imperii fines ultimos hostem sustinebant: Hispani subeuntem ipsa regni penetralia viriliter arcebant. Illos præsentia tua & sanguinis cognatio ad rem fortiter gerendam hortabantur: hos amor vicarius, & devota Principi suo fides acuebant absente Te, & pares stimulos sufficiebant. Non deterruerunt Gallos adversi armorum casus, quin urgerent hostem acriter & pertinaces usque rerum tuarum defensores repugnantem Fortunam Virtuti cedere cogèrent: non exterruit Hispanos urbem Regiam ingressus hostis, acerrimique tui juris assertores patriam ab injustâ vi liberârunt.

Discat Hostis spe frustratus suâ, quid ab æmulâ utriusque populi constantiâ sperandum sit; & qui videbatur sibi non ita pridem rerum arbiter, jam conclusus intra breves unius Provinciæ angustias caveat, ne aliud non habeat commodum rerum prosperarum, præter pudorem ac dedecus ausis imprudentibus excidisse.

Jam quid promovit Anglus, Auditores, qui tot impensis ac sumptibus tam multas aluit hoc anno terrâ marique copias? Hôccine tandem, quod ambiebat jam pridem, est consecutus, ut nos impensæ amico Principi, quem ejecit solio per summum

num nefas, benevolentia pœniteret; aut ejusdem in posterum tuenda caperet fastidium? an post graves illos armorum tumultus, post concitatas ubique perturbationes Britannia Magna Rex junior graviolem hodie apud nos sortem experitur, aut durius exilium dolet? an imminui sensit vel majestatis reverentiam, vel studium in res suas, vel paternam Ludovici Magni caritatem? an, quoties venit in Aulam & praesentia sua regales ludos cohonestat, eam voluptate non fruitur, ut verendus pariter & amabilis omnibus accedat; ut politioris ingenii, solertiae, dexteritatis gratiam apud peritos quosque rerum aestimatores consequatur.

Quod si temporum iniquitas & operosi belli moles gravior suum avito folio Principem reddere non sinit; saltem illucescet olim dies ille, nec eximia junioris Principis dotes fallax aut leve augurium faciunt, cum vel mutatis in melius animis, & depositis simultatibus Regem ultrò suum Britannia excipiet, vel reluctans atque invita patietur. Interim fruire Gallici populi amoribus, Princeps magnanime, fruire Ludovici Magni benevolentia, neque te pœniteat regias ab eo virtutes, & egregiam regnandi formam didicisse.

Quid reliquos operosius persequar? an majorem hic annus praestitit Hollandia securitatem contra futes & inanes metus, quos timida plus aequo genti felix injecit Gallia atque Hispania concordia? an ille formidolosus belli apparatus, quem eodem, quo antea, exitu erupturum in Flandriam speraverat, quidquam aliud peperit, nisi ut inertes & otiosos aetate tota virtutis ac constantiae Gallicae spectatores sufficeret. Imprudens & suae ipsius felicitatis inimica, quae rejecta pertinaciter, quam toties obtulimus, securae pacis fiducia, quaestuosam quietem damnosae perturbationi posthabuit!

Quid dicam de Lusitaniâ , quam amplissimæ mercedis expectatio à nostris partibus in deteriores inclinaverat; an uberiozem hoc anno quam superioribus neglectæ amicitiaë fructum percepit?

Túque, ô Sabaudia , quam infestam gratis & hostilem, odisse tamen nobis non licet: quam non amare, vel si redamare te pigeat, non possumus: cujus benevolentiam, si sineres, quolibet pretio bene redemptam duceremus; tantum Gallia, tantum tibi Hispania debent, debebúntque semper pro dulcissimo pignore, quo per te utraque fruitur! Ecquid spem fragilem persequeris, vel quam ambis ex ancipiti fatalique armorum aleâ gloriam, quâ majorem ferre hoc anno quietâ & amica non potuisses?

At Hæresis, Auditores, turbidis abusa temporibus, & grassata diu quæstum ut faceret, quid profecit? an de tenebris emersa pristinum in decus, unde exciderat, visa est revocari? an sedet illa Magistratuum in subselliis? an militiaë præest? an publicis negotiis desungitur? an Hydra illa inter cædes nata & civili passa sanguine, vel nostro, vel hostium ex cruore incrementum accepit? an excitas ruderum moles & populata ferro Erroris fana suscitavit? an excussit jugum quod ferebat, &, ruptis vinculis receptaque libertate, nostris in funeribus exultat?

Tamen quid dico, aut inflicta Religioni vulnera quid dissimulem? Irvaluit Hæresis enim verò plus quam par esset, non apud nos quidem, sed apud hostes; & piæ Religioni opibus ac spoliis onusta per summum nefas triumphat. Tu mihi testis, Silesia, quæ nihil ejusmodi vereri cum debuisses, admissum intimis penetralibus doles Errorum, & tuis te spoliatam templis expostulas. Equidem dubitare non possumus, quin magno luctu religiosi Principis, quem colis, durissimis temporibus ceden-

cedendum fuerit ; quin sæpè sit detestatus funestam bellorum necessitatem, quæ tam gravem pietati veræ perniciem important. At quod nequeunt hostes, vel dum sibi plaudunt ac tantopere gloriantur, liceat gratulari nobis, apud quos nullum ejusmodi probum Religio pertulerit.

Ergo jactitent, per me licet, quantum volent, hostes Gallici nominis præteritas laureas ac triumphos : efferant etiam, si qua sunt, victoriarum monumenta, & felicibus priorum annorum eventis aures nostras importunè personent. Illos ego provoco ad hunc postremum annum, cui, tanquam fallaci scopulo, fortuna ipsorum lætior allisit.

Quanquam intra breves anni unius angustias quid demoror ? Itane reliquorum annorum laudem, quam sibi hostes arrogant, circa contentionem ac controversiam concesserimus ? Habet certè cumlata victoria speciosum quidpiam ac magnificum, quod victores exornet non mediocriter, & rei gestæ memoriam apud feros nepotes commendet. Age ; si quis potius victoriâ subeundam legem victis imponat : si eosdem ad eas adigat angustias, ut molestum quid sibi & contumeliosum pati cogantur : si victi deperdidisse quidpiam pristini roboris ac splendoris, aut partam olim heroicis facinoribus laudem obscurâsse videantur : si pertæsi iidem belli longioris, aut armorum impetus deinceps sustinendo impares, pacis aut petendæ turpiter, aut ejusdem repugnanter perferendæ necessitate obligentur. Hoc vincendi genus, Auditores, quis dubitet tam gloriosum esse victoribus, quàm victis ignominiosum debet videri ?

At quid ejusmodi sibi gratuletur Hostis, vel dum lætioribus fatis usus est ? an hoc sibi sumpsit, legem nobis ullam ut imponeret ? an oblitos sensit dignitatis illius ac gloriæ, quam parva laureis ac triumphis fama nobis toties asseruit ? an pertina-

ces

ces minùs ad resistendum, ad audendum minùs alacres, minùs promptos ad oppugnandum expertus est? an supplices vidit, aut belli diuturnitate fatigatos Gallico nomine indignum quidquam postulare?

Nos porro non sic olim vicimus Auditores; neque tam parcam nobis gloriæ segetem victoriæ nostræ contulerunt. Vidimus effractis semel revulsisque locorum illorum repagulis, quæ conditionem, ut vincerentur, non habebant, concurrere invicem nationes integras, & vel implorare victoris fidem, vel revereri dociles imperium, vel prævertere iras suppliciter, vel meritas pœnas deprecari.

Vidimus populos non tam victos iusto bello, quàm emendatos salubriter dediscere tumidos factus; & dum reluctantes vi cederent, etiam vincētis clementiam prædicare. Vidimus conflata non semel nostram in gentem fœdera, quæ sociatas totius Europæ vires secum traherent, paucis interjectis mensibus, percussa armorum nostrorum robore dissolvi, turbari, dissipari. Vidimus belli pacisque arbitram Galliam victis gentibus partim rogantibus impertiri pacem, partim nolentibus imponere.

Quid memorem excitas rerum nostrarum gloriâ ab extremis reducti orbis partibus nationes Principis illius, per quem tot miracula fierent, ambire benevolentiam, & amicum cum ipso fœdus inire? quid dicam mutatas in melius provincias, quæ nobis subjicerentur, errores suos execrari? quid loquar triumphantem ubique Religionem, quocumque intulisset arma, & singulas vincētis Galliæ victorias totidem pietatis veræ trophæis consignari?

Pulchrum ac gloriosum est vincere, Auditores, cum tam illustria victoriarum monumenta relinquuntur. Quid porro Galliæ hostes æquale, quid simile,

mile, quid aliquatenus saltem aff. nerebus è prosperis partum ostentent ?

Sed quid revocamus tam operosè, quæ vetera sunt, quasi recentibus exemplis egeremus ? Omitamus ultrò quæ gesta sunt à nobis, dum prosperis rebus uteremur. Partam ex adversis gloriam quanto majorem, quàm hostes ex prosperis, habeamus, Pars Orationis altera demonstrabit.

II. P A R S.

Est hæc in adversis rebus pars solatii non levis. Auditores, ut iis, quos exercent gravius, & commodam redimendi se se ab injuriâ fortis facultatem, & amplio rem veræ sinceræque gloriæ segetem, quàm res secundæ, sufficiant. Nam cum ea laus, quam felix rerum eventus parit, non tam pertineat ad eos, quos Fortuna cumulat, quàm Fortunæ ipsius propria sit; quæ autem provenit ex infelici sorte gloria, eam sibi vindicent totam, qui adversa patiuntur; necesse est, ut majus quiddam sit atque illustrius ex adversis laudem, quàm ex prosperis meruisse.

Id ipsum verò cum probant pleraque veterum historiarum monumenta, tum certè Romana gens tam cladibus suis, quàm famosa victoriis testatur. Ecquando enim major & illustrior Roma exitit? an cum, aspirantibus ad votum fati, nationes immanitate barbaras, infinitas numero, robore insuperabiles domuisset? cum armorum suorum terrore diffitis terrâ marique populis pavorem ac metum intulisset? cum imperii fines longè latèque propagasset? An non potius summum gloriæ fastigium visa est contigisse; cum ad Trebiam superata, ad Trasymenum victa, ad Cannas profligata suis veluti emerfit de funeribus,

git

git de hostibus triumphum, quantò perditius ab iisdem afflicta conciderat.

Atque hinc mihi videor multò æquiores afferere posse Gallicæ genti ex adversis rebus gloriam: quòd illa non hostem unum, ut vetus Roma, sed multiplicem; non inertem & molliori luxu atque otio dissolutum, sed alacrem & victoriã superbam ac ferocem; non uno tantùm in loco, sed, ubi cùmque detrimentum aliquod senserat, debellandum habuerit.

Relegamus enimverò neque revisere animo ac cogitatione pigeat loca illa, in quibus non tam iniquum Martem, quàm adversam sortem sensimus. Metus omnis absit, Auditores, nihil se nobis deinceps objiciet, quod offendat oculos; nulla supersunt monumenta, quorum ad aspectum obductæ malè cicatrices recrudescant. Non eveniet nobis, quod olim Germanico contigit; ut, cùm tristes Variarum cladis reliquias in Germaniã reviseret; cùm albentes Romanarum legionum ossibus campos, cùm aggestas cadaverum moles sexto post anno intueretur, nihil præter gemitus miserabiles, aut lugubre inanis officii ministerium insepultis suorum Manibus persolveret. Imò, imò lætius aliquod & amabilius spectaculum nos manet; quocùmque se seferent oculi, mutatam in melius rerum faciem usurpabunt, & infectas aliquando terras nostro sanguine, in laureas crevisse, pullulasse in palmas deprehendent.

In Germaniam, credo, pigebit penetrasse altius, & fatalem illum attingere scopulum, cui felicitas Gallica ante aliquot annos offendit; postquam res illic nostras tam gloriosè restituit Fabius alter Maximus, & ipso Gabio major: qui non cunctando, ut Dictator ille Romanus, sed currendo, sed volando, penè dixi ludendo labem omnem, si qua nostro nomini adhæsisset, penitus absterfit?

Nam

Nam quis sibi persuasisset unquam, regionem illam, quam perenne felicitatis suæ monumentum, ueri tam acriter hostes decreverant; cujus aditum tot vallatum fossis, tot munitum aggeribus, tot defensum præfidiis, impervium humanæ fortitudini crediderant, regionem, inquam, illam tam citò recipiendam esse à nobis, eandem altero post anno faciendam vestigalem, adigendam eò postmodum, ut Gallicum exercitum suis aleret sumptibus, & gravioris belli impensas persolveret?

Fecit hæc Villartius, Auditores, vir ille sibi constans, sui que semper similis, quia semper & ubique victor: de quo jure dubites, an sit in meditando prudentior, quàm aut in aggrediendo fortis, aut felix in exequendo: qui nihil putavit unquam tam operosum ac difficile, quod perfici non posset: qui perfecit ipse non semel, quod non tentari, ne dum fieri posse videretur: quem miles ambit Ducem operis quantumvis ardui, certus non tam se ad pugnam pergere, quàm ad victoriam: cujus denique ad singulare præconium vox illa Ludovici Magni sufficiat; qui mirantibus non ita pridem quibusdam Aulicis, imò & metuentibus, ne Villartius regios exercitus periculosa nimis alea exponeret, haud hæsitanter subjecit; tantum se Villartio confidere, quantum ipsi milites considerent.

Sed quid ego vos in Germaniâ diutiùs moror, Auditores? petamus Flandriam perpetuum illud tot abhinc annis Gallicæ virtutis pariter ac felicitatis theatrum, nisi peccasse semel in nos Fortunæ contigisset. At qualem ex hoc adverso casu gloriam tulerimus, nec Hostis ipse diffiteri possit; qui magno instructus apparatu, numerosis florentibusque copiis & ingenti pecuniæ summâ, quam Britanni contulerant, eòdem post aliquot menses cum rediisset, nihil minùs meditans, quàm in ipsos Galliæ sinus penetrare, hæsit attonitus Gallici exercitus

ad

ad aspectum; & insidiatus æstate totâ nequicquam, quâ vim faceret, non modò non est ausus tentare rursùm pugnae aleam; sed oblatam à nobis sapiens rei viriliter gerendæ occasionem constanter declinavit. Ecquis in tantâ Gallici exercitûs confidentiâ Gallos illos agnoscat, quos Fortuna iniquior paulò antè tam nequiter deseruit?

Hæc tibi debita laus, Vindocine: neque alius visus est ad tuendam Flandriam magis idoneus, quàm qui Italiam tamdiu, tam prudenter tamque feliciter defenderat. Quàm dulce debuit esse Tibi, qui nihil sic ambis, ut frui omnium benevolentiam, quia benevolentiam omnibus imperis; cum tam propensos in Flandriam militum in Te animos perspexisti, quàm studiosos tui in Italiâ persenserat. Avellebaris ægrè quidem ab iis, quos paratos noveras audere quilibet duce Te atque auspice: quos recipiebas deinceps in tuos, iis tu novos animos, novam alacritatem præsentiam suscitabas. Nemo illorum fuit, Imperatorem Te cum perderent, qui patronum eodem tempore, qui amicum, qui parentem perdere se non quereretur: quibus eras imperaturus, iis Tu patronus optatus jam diu, amicus idem ac parens accedebas. Veniebas onustus palmis ac laureis, quas Italo in solo messueras: nec feracem minùs trophæis invenisses Flandriam, nisi cedere retrò maluisset Hostis, quàm congregiens impetum experiri. Excipe igitur, Princeps invictissime, flagrantissima non militum modò, sed totius Galliæ, sed ipsius Ludovici Magni studia, propensissimâsque voluntates, Tu, qui nullum unquam ex laboribus, nullum ex victoriâ, nullum ex impenso toties sanguine fructum ac præmium, præter amorem ac benevolentiam voluisti.

Hispaniam verò quid subire deinceps nos veteres Auditores, quam gloriosus ac recens Aurelianensis Ducis triumphus tantopere decoravit? Equidem fateor

fateor jam absterfa satis videri poterat, si quam inimicæ fortis invidia Gallico nomini maculam inuffisset, ex quo tantâ hostium strage, tantâ rerum nostrarum gloriâ ad Almanzanum pugnatum fuerat. Venerat Hostis enim verò fortissimo Angliæ, Bataviæ ac Lusitaniæ comitatu fretus, finem longissimis laboribus ut imponeret: præerat numerosis exercitibus Asminasius, vir inani tumens fastu; qui non dubitabat palàm profiteri, non ingredi se dubiam incerti certaminis aleam, sed apertum victoriæ campum; cujus is demùm foret exitus, regiam urbem ut occuparet. Atque ut dictis faceret fidem, jam erant expediti triumphales currus, qui victorem deducerent: aderant lecti fœminarum greges, quæ citra offensionis periculum pugnam spectarent propiùs; & peracto mox certamine fistris ac tympanis triumphanti applauderent. At quàm diversus extiterit pugnæ exitus ab eo, quem sperabat, docuit victus cæsúsque penè ad internecionem hostilis exercitus; cujus vix pars ulla superfuisset incolumis, nisi inito certamine fugam statim capessivisset Lusitanus Equitatus, credo, ne deesset, qui de sociorum clade quantocyus admoneret.

Neque verò hîc stetit tam commodum eluendæ culpæ naçta locum Victoria, quæ sub hostilibus vexillis erravisset. Voluit illa fidem, quam fefellerat, aggestis laureis ac palmis nobis in omne tempus mancipare. Nam quid Valentia, quid Arragoniæ Regnum dicam ad obsequium legitimi Principis revocatum? quid loquar in Lusitaniâ urbes plurimas victricibus armis expugnatas? Gens ignara propriæ felicitatis, & suo dolore digna; quæ perturbationi quietem, fidem necessitudini quæstuosam posthabuit!

Hic fortè mirari vobis contingat, Auditores, aut etiam expostulare, nullam factam esse à me Barvichii mentionem, qui tantam in tanto opere

Ff

par:

partem sibi vindicat. Quasi verò prætermitti à nobis possit Vir ille, cuius inviolatæ fidei, constanti studio, indefessæ virtuti tantum Gallia, tantum Hispania debere se profitentur. Neque verò patuit usquam illustrius, quid sagacis Imperatoris solertia, quid invicti bellatoris animus posset; tam utrumque feliciter, tanto Galliæ & Hispaniæ bono Barvichius exhibuit: Dignus profectò, qui magnificentum virtutis muneratorem in Ludovico pariter ac Philippo inveniret: quorum ab altero inter Magnates Hispaniæ jam pridem adscriptus, ab altero nobilissimæ in Galliâ Provinciæ nuperrimè præfectus est. Tamen in tantâ, quanta se offerebat, rei gerendæ feliciter opportunitate, quis crederet temperantem aded, & modestum extitisse Barvichium; ut Aurelianensi Duci, quem magnis itineribus properare ad certamen didicerat, vincendi gloriam ultrò deferret? At neque vinci se passus est contemptu laudis generosus Principis animus; qui veritus, ne dum faceret moram, certaminis opportunitas elaberetur, auream hanc & posteritatis dignam præconio vocem protulit: *Malim ego carere gloria, quam victoria parit, quàm ut Hispania Rex victoriâ ipsâ careat.* Non tamen vel sic declinabis gloriam, quam fugis, Princeps generosissime, neque tantæ moderationis ac temperantiæ præmio privaberis. Ecce jam reclusit tibi portas suas Cæsaraugusta, non militum numero, non fragore tormentorum, sed nominis tui terrore, & rerum tuarum famâ perculsa.

Verùm non erat hæc digna Te satis, neque meritis tuis gloriæ par seges. En tibi vastus magis & magis illustris campus aperitur, in quo excelsæ mentis animique robur ingens se se exercent. Attingisti fatalem heroicæ virtutis scopulum: Ilerdam oppugnâs, quam olim non expugnârunt illi, quorum Tu nomen & partem tot triumphis famam veneris.

Sal-

Saltem si commoda Cœli tempestas fineret animo indulgere: si effusa undique aquarum copia obfidii labores promoveri pateretur: si rebus operi tam arduo necessarijs abundares! Imò Ludovici Magni mens conscia periculi, quod adires, & metuens caro capiti, cujus prodigum te nimis jam sensit, hortatur, rogat consilium ut differas: opportunum magis tempus exspectes, donec com meatus & apparatus omnis ad rem accelerandam idoneus sufficiatur. Quanquam jam revulsa tormentis, igne, manu, ferro incœnia faciunt aditum: jam Imperatoris constantiâ miles factus audacior in urbem per vim irrumpit, & permisâ potitur prædâ. Restabat operis moles gravior, Arx occupanda, in quam hostis confugerat. Hæc inaccessis rupibus defensa, munita propugnaculis, multiplici vallo circumdata, spem victoris eludebat, & retardabat imperium. Nihil tamen inde segnior Aurelianensis Ducis animus urget propositum; &, quantum crescit difficultas operis, tantum invalescit ardor & incenditur. Hic verbis, exemplo, præmiis stimulare militis audaciam: & quoniam opes jam exhauserat operis diuturnitas, propriam impendere suppellectilem. Neque tamen miretur quisquam generosum Principem non pepercisse tot sumptibus, qui nuper in Italiâ nec sanguini pepercerat. Non itetit contra tam validos impetus obstinata quantumvis hostis pertinacia: cedere demum cogitur, & Aurelianensem Ducem victorem agnoscit. Quid jam gloriæ tuæ deesse possit, Princeps generosissime? Hactenus pacis artibus eminentissimus tenebas unis collecta, quæ divisa conspicuos efficerent; & felix ad omnes disciplinas indoles, quod est in unaquaque facultate summum, tibi vindicabat: nunc tam celebri triumpho nobilis demonstrasti, quantum belli studiis fores præstantior.

Liceat & illud, Auditores, inter aduersa nostra computare, quòd intactas adhuc Galliaë provincias oppugnare hostes præsumpserint: quòd freti rebus ex sententiâ fluentibus laceßere portus nostros, inò pertentare Gallorum fidem non dubitauerint. Nam quid injuriosum magis esse nomini nostro possit? Verùm hoc ipsum, quod iniuquum querimur, quantum cesserit in Galliaë decus, sensit hostis ipse, & infrenduit.

Vidit enim verò quàm non impunè finibus in suis Galli impugnentur: quàm sincerâ & incorruptâ fide vigeant: quàm sint amantes sui Principis, & alienæ dominationis osores. Nam quis fuit terrâ marique conspirantium populorum animus obfessæ Toloni ut succurrerent, Tessæo duce atque imperatore, cujus prudentiæ Salvyorum Provinciam Ludovicus Magnus crediderat? quis impetus ad arcendum hostem? quibus parcitum sumptibus ad defensionem comparandam? Vidisses novos quotidie exfurgere munimentorum labores, villas in castella, casas in propugnacula, mapalia in fortissimos aggeres repentè commutari: à fronte, à tergo, à lateribus injiciebantur moræ, quæ retardarent hostem, & infringerent impetum: nemo non sensit esse se militem: nullus in agro suo non putavit arcis tuendæ partes sibi fuisse commissas. Tamen sperabat hostis demulcendos Salvyorum animos, inflectendos largitionibus, commeatus propositis præmiis esse exorandos: atque hac mente, opinor, tantam pecuniæ summam à Britannis extorserat. Quàm Tu aliter, Ludovice, de Salvyorum fide augurabâre, quibus Tessæum præfecisses! quàm meritò significâsti palàm tam sæpè, quantum in sincero illorum obsequio, & in perspectâ meritissimi Ducis vigilantia pones! Non fefellit te spes tua, Regum maxime; expertus es, si unquam aliâs, quàm securo versentur in vado vel extremæ Regni tui

tui provinciæ, quæ Gallos defensores nactæ sint. Gaudeat hostis, & suam sibi salutem gratuletur; qui, solutâ prudenter obsidione, Ludovici Magni Nepotem expectandum non duxerit. Qui tales metus fecit vel absens, qualem perturbationem præsens attulisset?

Agite, Auditores, quid videtur vobis? an ego magnificus nimis rerum nostrarum ostentator, qui Gallis majorem ex adversis rebus, quàm Hostibus ex prosperis gloriam vindicârim?

Quin etiam, ita me Superi ament, nihil hîc propius est, quàm ut ærumnas nostras, si quibus confictati sumus, felices ac fortunatas appellem; quarum tam lætus, tam gloriosus exitus extiterit.

Jam ergo discat Hostis, quàm frustra, quàm temerè Gallos deinde oppugnandos putet; quibuscum aut dimicandum semper habeat adverso Marte; aut, si æquiores semel atque iterum belli aleam sortitus sit, non illos modò contrariis fati non infractos sentiat; sed iisdem videat majus è damnis suis gloriæ incrementum accessisse.

Parco hîc dicere, Auditores, quid nobis vicissim Fortuna contulerit, dum hostibus tantò adversatur gravius, quantò favere blandius visa fuerat. Sileo classem illam tanto exstructam apparatu, tot impensis ac sumptibus in exitum Tolonis conflantam: quæ, postquam diu stetit inutilis obsessæ urbis in conspectu, regressa demum est infeliciter, multò infelicius ad oras penè Gallicas, temeritatis in pœnam, cum Præfecto suo peritura. Mitto classem aliam, quæ præsidia comœatusque Lusitanis deferēbat: cujus pars melior à nobis occupata, pars altera aut depressa, aut miserabiliter incensa est.

Sed quid hîc inanis Fortunæ munus commemoro? Agnoscamus Dei omnipotentis manum;

Ff 3

qui

qui procellis levioribus concuti Galliam & amicam
Galliæ Hispaniam non passus est, nisi ut utriusque
damna compensaret beneficiis illustrioribus, &
ærumnas qualescumque felicitatis abundantia con-
solaretur. Nam quid ad utriusque gentis solatium,
gloriam, felicitatem aut melius, aut lætius, aut
magnificentius contingere poterat; quam quod, in
medio perturbationum æstu Galliæ pariter atque
Hispaniæ amicus ac liberalis Deus impertit? Quo
pignore gemini populi tutorem se ac defensorem
apertius declararet; quam cum iisdem ferme tem-
poribus Gallis Britannia Ducem, Hispanis Asturia-
rum Principem concessit?

Vidit enim verò Gallia, Augusti Principis nata-
libus propagatam longius in Borbonio sanguine
Regni successionem; neque defuturos ex stirpe
tam verendâ novos semper furculos, qui suarum
rerum in decus & ornamentum efflorescant: videt
Hispania adesse sibi tandem in concessâ recens prole,
quem votis sollicitabat jam diu, certum hæredem:
&, quam in Carolo II. excisam successionem dolue-
rat, in Philippo V. feliciter cumulari. Sensit Gal-
lia ampliorem in Britannia Duce domesticæ quietis
fiduciam: & in continuâ Principum suorum serie
turissimum sibi contra intestinas dissensiones præsi-
dium gratulata est: sentit hodie Hispania sublatam
felicissimo Principis Asturiarum ortu rebellibus po-
pulis continuandi belli occasionem; & injectam
ad futuræ brevi tranquillitatis expectationem præ-
cipit. Plausit sibi Gallia plures in Regio Pueri re-
rum suarum nacta defensores; & ad urgendum ho-
stem, quem patitur, acrioribus se incitari stimulis
experta est: plaudit sibi in mediâ conjurantium
hostium æmulatione hæredem novum Hispania con-
secuta; & ad tuenda fortiter legitimi Principis jura
majorem fiduciam atque alacritatem ostentat. Ex-
ultent sanè triumphentque felices nimium imperii
utrius-

utriusque Populi: mutuis se studiis atque officiis
 tueri invicem ament & ambient: & in pretioso,
 quod utrinque sibi gratulantur, pignore fortunatum
 concordia perennis & invidendæ nequicquam po-
 tentiæ atque felicitatis omen excipiant.

At tu beneficium tuere, Regnorum arbiter ac
 rector Deus! Totum enim hoc tuum est, unde
 vel sperare, vel gloriari, vel triumphare liceat. Per-
 ge respicere benignius Gallicum Hispanicumque
 Imperium, & quem utriusque præfecisti vindicem
 ac defensorem, Ludovicum. Quod si visum est tibi
 lætam florentium rerum seriem interturbare tanti-
 sper: si placuit Regem optimum rebus adversis
 conflictari; ut, qui cæterarum virtutum præclara
 documenta Principibus in solio constitutis jam de-
 disse, iisdem moderationis ac patientiæ exhiberet
 exemplum; habes quod volebas, ô Deus! quàm
 modestum in prosperis Ludovicum persenseris,
 tam patientem in adversis rebus expertus es. Jam
 si rogare quidpiam liceat religiosi Principis gratiâ,
 si devotissimæ tibi gentis preces non respuis, quod
 te poscimus omnes etiam atque etiam, bonus annue.
 Nihil iniquum petimus aut ambitiosum nimis; nihil
 quod Christianus orbis sibi non gratuletur accep-
 tum. Injice amorem Pacis dissidentibus dudum Prin-
 cipibus, Tu qui corda Regum ad arbitrium flectis:
 provide longam ubique tranquillitatem ac pacem:
 & qui nihil tam ambit, quàm Pacator orbis, pa-
 cisque Fundator ac quietis appellari, Ludovicum
 sospitem diu multumque atque incolumem
 conserva.

Oratio habita Anno M. D. CC. VII.



GALLIAM

MAGNUM HABERE IN SEIPSA
ADVERSUS QUOSCUMQUE CASUS

SUBSIDIUM.

Oratio scripta, & habenda sub finem Anni
M. DCC. IX.

Nisi serviendum fuisset diffidentia quorundam hominum, qui, Rebus Gallicis, eo tempore, minus ex voto fluentibus, ne ullam quidem spei bonam partem admitterent.

ORATIO IX.

Solennis illa vox est, non ad vanam inanemque Gallici nominis elata commendationem, sed communi populorum omnium suffragio confirmata, illud esse Gallia fatum, ut à nemine vinci possit, nisi à se ipsa. Nam cum propter tacitam laudis æmulationem gravissimis omnium ætatum memoriâ tentata fuerit oppugnationibus, & summum rerum suarum in discrimen adducta; non modò non succubuit illa periculis, aut aliquod splendoris sui detrimentum experta est; sed novum è damnis suis robur, majus gloriae incrementum semper accepit.

Tamen quid esse dicam, Auditores, aut quo designem nomine metulosorum quorundam hominum diffidentiam; qui delapsam è summo felicitatis

citatis pariter ac dignitatis apice Galliam nostram ita mentiuntur, ut resurgere denuò, & pristinum gloriæ fastigium affectare non possit? Egone ad propulsandum, quod infertur nomini nostro dedecus, abutar illius loci magnificentiam, qui rerum nostrarum decore toties personuit; & sentientem æquius de Gallicæ gentis præstantiam confessum hunc celeberrimum inauditis ad hunc diem vindiciis fatigandum putem?

An, quod olim Græcum Oratorem fecisse legimus, cum populum Atheniensem instantis ad portas Philippi metu perculsum argueret, juberetque avitæ virtutis meminisse; idem ego in causâ tam dispari renovare aggrediar; & Gallos non avitæ modo, sed & suæ ipsorum virtutis ac confidentiæ immemores extimulem? Quam durum esse nobis debet atque asperum, quibus nihil præter laureas ac triumphos contigit ex hoc loco gratulari, commodare vocem hodie recreandis suscitandisque diffidentium hominum animis, & extremum hunc fortè opellæ qualiscumque nostræ laborem tam alieno à nostrâ consuetudine atque indole argumento impendere?

Quanquam serviamus tempori, Auditores, & quoniam ita res videtur postulare, arguamus metus injustos ac degeneres, & Galliam ab opprobrio vindicemus, Veniet tempus illud, cum feliciorum nacti campum, qui perorandi munere deinceps defungentur, tristissimam hodierni temporis penuriam lætissimam rerum ubertate ac copiâ compensabunt. Nos interim neque levis fructus, neque pœnitenda laboris merces consequetur; si, ad sustentandos fati melioris expectatione Gallorum animos, id evincere liceat, quod proposuimus Orationis argumentum: Galliam magnum habere in se ipsâ adversus quoscumque casus subsidium.

Tria sunt, Auditores, quæ meticulosos homines angunt inprimis ac torquent. Aiunt imminere hostes Galliæ finibus, & in ipsa regni viscera impetum minitari. Addunt eandem præmi annonæ caritate, & opum indigentiam. Denique clamant excidisse illam ab eâ gloriæ famâ, quâ per universos Europæ populos fruebatur. Hinc graves metus, hinc perennes querelæ, hinc tristia quædam omina, quæ pavidas mentes percellunt. Ergo nihil offert deinceps Gallia, quod & amoveat metus, & compescat querelas, & funesta, quæ jaçantur, omina depellat? Sic est Gallia ab omni subsidio destituta, ut neque coercere hostium impetus, neque sublevare penuriam, neque pristinum tueri gloriæ splendorem possit?

Atqui ego contendo, Auditores, neque vereor, ne quis vestrum mihi fidem derogat, tantum esse in unâ Galliâ subsidii, ut, vel si ad eas redacta esset angustias, quas homines boni comminiscuntur, his medendo incommodis ipsa sufficiat.

Habet illa nimirum in fortitudine militum & Ducum experientiam, unde vim hostium infringat, hoc Primum. Habet in ubertate soli & privatorum opibus, unde copiam restituat & abundantiam: hoc Alterum. Habet in Religione suâ ac pietate, unde pristinum gloriæ decus tueatur ac conservet; hoc Postremum. Itaque quantum & quàm multiplex adversus quoscumque casus, cum à militibus pariter ac Ducibus, tum ab ubertate soli privatorumque divitiis, tum ab insito toti genti Religionis ac pietatis studio Gallia, quasi suo ipsius è sinu pariat subsidium; triplici Orationis parte demonstrabo; quæ, dum pro viribus exequor, quæso vos, Auditores, pro vestrà humanitate dicentem sublevate.

I. PARS.

I. PARS.

Non fuit ea semper Gallia felicitas, ut perenni rerum ex voto fluentium serie frueretur; neque tam constanter metuendam se se gloriae suae æmulis exhibuit, nihil ut ab iisdem vicissim haberet identidem peritescendum. Namque hic refricare liceat vel ingratam temporum illorum memoriam, cum graves fortunæ resstantis æstus experta in exitum vergeret propior, neque tam pro tuendis suis finibus, aut partis armorum gloriâ monumentis, quàm pro aris ipsis ac focis ab hostium injuriâ vindicandis certaret. Saltem eruditi istâ recordatione temporum discent timidi plus æquo Nepotes, quale suis in Majoribus Gallia præsidium habuerit.

Vidit illa mortuo Carolo VI. Francorum Rege suis in penetralibus triumphantem, & in urbe regni primariâ exterum Regem inauguratum, ad reliquum totius imperii principatum convolare. Is, posthabitis inquietæ Britannia litoribus, ostentabat se se Gallico in folio, & populorum votis in Regem acceptus ita devinxerat animos, ut oblitos, quid legitimo Principi deberent, nec mutatae conditionis pœniteret, nec suam in alienum aut fidem, aut obsequium, aut pietatem desiderari paterentur.

Parebat Anglo Normannia: exceperat jugum Picardia; victorem agnoverat Campania; Cenomanensis ager ultrò serviebat; Aquitania denique penè integra novi Regis in nomen legesque juraverat. Quin etiam adjiciebant animos, hinc Dux Burgundionum Galliae apertus hostis, inde Aremoricae Dux tanto metuendus magis, quantò peritior simulandi artifex audiebat. Interim Carolus VII. qui patri successerat, sibi relictus uni, & recenti ad Vernolium attritus clade vix paucas ultra Ligerim
pro-

provincias numerabat tanquam suas. Huic nec milites præsidio erant, quos in hostem duceret, nec in promptu pecunia, quâ aleret exercitum, nec Proceres, quorum in fide conquiesceret. Tamen propositum urgebat Anglus, & rebus prosperis ferrox numerosissimo exercitu Aurelias, unicam consiliis suis moram, unum infortunati Regis propugnaculum, obsidebat.

Quid ageret Carolus tam luctuosas inter angustias omni præsidio destitutus, & in reducto Turonensis tractûs oppidulo tristissimum Galliæ fatum expectans? An cedendum putet duris temporibus, & regni partem permittat Victori, reliquam ab ejusdem injuriâ ut vindicet? Verùm Anglus nec justas, nec dignas majestate regiâ conditiones offerebat. An remotum in asylum confugiat, ubi tutetur? Restabat quidem Provincia Lugdunensis intacta: at neque commigranti viaticum, neque pares resistendo vires suppetebant. An succurrat demum laborantibus Aureliis? audax facinus & necessarium; at tentatum frustra non semel & contra morem gentis infelicitur.

Ergo peribit funditus res Gallica? ergo nullum in fortitudine militum, in Ducum experientiâ subsidium inveniet? Quanquam quid loquor? Tot inter infelicis Galliæ nebulas ecce Dunensis Comes stirps Longavillæ Domûs quasi sol novus exurgit! ecce comitem sibi magnique facinoris adiutorem Santraliûm obsessis apportat. Parùm erat laborantibus Aureliis auxilii quidpiam humanitus advenire, nisi etiam divinitus accederet. Venit in partem operis Puella Dux nutanti Galliæ submissa Divis auctoribus, quos imperii custodes ac præsides reveremur. His Ducibus quanta rerum & fortunæ commutatio! sentit Anglus impetum, miratur, subitam fati conversionem, multiplicem Gallorum eruptionem non sustinet. Quid multa? sibi timere vicissim,

vicissim, qui tandiu metum fecerat, rebûs diffidere, obfidionem solvere, terga vertere, cædi, fugari, spoliari omnibus provinciis, quas vel invaserat perperam, vel jure suo retinebat; ac nihil præter turpe dedecus & ignominiosam fugam in Angliam reportare: triste quidem ac salubre, si quid gens illa saperet, documentum; esse Galliam infelicis instar scopuli, ad quem Anglica vis illidat miserabiliter, & fatale seriùs ocyùs naufragium patiatur.

Agite, viri meticulosi; eone tandem venimus, ut luctuosa Caroli VI. aut VII. tempora experiamur? An in medio Gallie sinu dominatur hostis? an regni partem occupat? an Regum nostrorum patrimonium restrinxit? an certamus hodie pro tuendis focis ac mœnibus? an nulla restant ex omni parte victoriarum nostrarum monumenta? Nam quò reciderunt ad hoc usque tempus fœderatorum hostium consilia? quid fecerunt tot populi, qui se fecisse nihil credunt ipsi, nisi nostras expilent provincias, & tristia passim invidiæ furorisque sui trophæa erigant?

Quanquam durum est id ipsum licuisse hosti, quod fecit; durum est ereptum nobis fuisse quidquam, quod virtute partum, emptum victoriis, felicitate quodammodo mancipatum videbatur? Sic ita sanè: ergo succisa spes omnis, nec ullus ad sortem meliorem aditus relinquitur? erit illa tam perpetua gentis nostræ calamitas, ut vincere Fortunæ ludibrium, atque damna sarcire non valeat? nullum ad eam rem Gallorum militum fortitudo, nullum spondet Ducum experientia adjumentum? Ergo Nepotes à Majorum virtute degeneravimus? ergo militiæ rudes sumus, imperiti disciplinæ, & molli ex otio ad tractandas res bellicas traducti? Scilicet non iidem illi sumus, quos paucos ante annos tam sæpè reveritus hostis est cladis auctores suæ?
quos

quos Europa vidit ubique victores, quos orbis universus fatorum arbitros suspexit; quorum periculis ac laboribus suam tranquillitatem Gallia, suam nomen Gallicum gloriam, Ludovicus Magnus rerum gestarum magnitudinem debuit? Non iidem illi sumus, quibus nihil erat tam invium, tam intentatum, quod non aggredieremur confidenter, virilius exequeremur? quibus certare, idem erat ac vincere? Nam cur Galli milites nunc forent tam dissimiles sui, tam mutati in alios homines, tam insitæ innatæque virtutis obliti? Sed omittamus quæ vetera sunt, & ex hoc præsentis anno Gallici militis fortitudinem æstimemus. Nihil affingam ego præter verum, nihil ambitiosius loquar ad pompam, nihil quod non palam & in confesso sit apud omnes, prædicabo.

Testes vos appello, quotquot estis; non certatum nuper in Alsaciâ viriliter, aut non patuit omnium oculis Gallici militis vis ac robur Rumerensem ad pugnam, ubi tam audacter provocatus hostis, tam impugnatus validè, tam constanter ad interuersionem pressus ac fugatus; ut ex octo millibus hominum, qui Mercio Duce convolabant ad victoriam, omnes aut cæsi, aut capti, aut submersi aquis perierint; vix è communi clade reversis ad suos paucis, qui tristem sociorum cladem nunciarent? Tamen conflatus erat exercitus ille victus ad Rhenum, partim ex Hungaris ferocibus, partim ex Equitibus illis cataphractis, qui nec cedere, nec vinci, si quid Germanis creditur, didicerunt. Eant nunc, & quid de militum nostrorum fortitudine sentiant ipsi, dissimulent, quantum volent; erepta certè profligatis hostibus vexilla, actus in prædam universus tot copiarum apparatus, ipsa Mercii supellex fugienti rapta satis eloquentur.

Quid repressum eadem virtute dicam hostem
ad

ad Brigantium, dum in Delphinatum molitur aditus, & Dillonis aut fallere solertiam, aut illudere fortitudini confidit? Quid laceffitum loquar exutumque castris ad Girundam, & salubri fugâ salutem coactum querere, quam in sustinendâ militis audaciâ non invenisset? quid Anchinum memorem in Flandriâ Duce Nangio, quid Varnetonense oppidum ab Artagnano tam celeriter armatâ manu occupatum, ut, qui liberandis obsessis veniebant, æquata jam solo mœnia didicerint? Omitto dicere quàm sæpè levioribus in pugnis se se Gallica virtus erexerit; quoties æstate totâ incursum acriter in pabulatores, & magnâ eorum strages edita; quàm nullis omnino in locis certatum utrinque sit, ubi non exstet aliquod Gallicæ virtutis monumentum.

At quid dicemus, Auditores, de recenti illâ tamque cruentâ ac pertinaci pugnâ, cujus Hannoniæ campi testes exstiterê? In quâ meritò dubites, utra pars victrix fuerit, an victa; cujus gloriam, vel si hostis sibi vindicet, rursus tam carè vincere abnuerit; quam non alio nomine suam illi fatentur, nisi quòd ipsis cumulas inter suorum moles pernoctare licuerit. Pugnam dico illam, quæ tumidos hostis superbi fastus repressit; quæ depulit errorem illum, ut crederet, languescere Gallorum in animis priscam virtutem, cui impunè posset illudi: quæ vel ab invitis consciam hanc veri vocem extorsit. *Gallos hodie vidimus ac sensimus.* Etenim ubi Gallicæ virtutis specimen editum illustrius est?

Jam permixtus Anglo Batavóque Germanus explosis bellici tormenti fulminibus sibi fecerat aciem in nostram aditum, victoriæ lætum omen ominatus. At ubi mortem pro victoriâ, pro trophæo nactus tumulum excidere spe suâ se videt, redit copiis auctus retentibus, & majori cum furore non exitu felicitiori certamen redintegrat; adeò
crescit

crescit vicissim Gallo militi vis & audacia, & nullus cædendi maclandique finis, aut modus est! Piget hostem sui dedecoris; instat nihilo segnius iterum atque iterum; verum dum ulcisci cladem ambit, suorum stragem auget ac cædem. Jam nobis pro vallo fiunt projecta miserabilem in modum & acervatim congesta hostium cadavera; & inter morientium gemitus ac desperantium iras pugnamus. Tamen neque victis ac corruentibus abest furor aut vindictæ cupido; adhuc enses in manibus, in oculis spirantes minæ, in vultu mixta dolore ferocitas! Interim improvise saucius vulnere victoriæ subtraheris, Villarti, & diu multumque luctatus cum dolore, defectis viribus pugnâ eriperis, ac tecum pariter tuis pugnae ardor eripitur. Atque, ut eras idem arbiter atque incentor victoriæ, te absente factum est, ut non vinceremus, at militum nostrorum fortitudine atque militari obedientiâ præstitum, ne vinceremur.

Ex hac militum nostrorum alacritate Ducum ipsorum experientiam ac virtutem æstimate. Subodorari prudenter consilia hostium, eadem sapienter antevertere, impugnare divisum solerter, quem sustinere collectum non poteras, fuit hoc militaris scientiæ facinus eximium, Burghæ; qui sic illexisti Mercium ad certamen, antequam Sabaudicis legionibus jungeretur, ut, dum Germanici Imperii florem ac robur tuâ virtute profligares, Alsaciam & Liberum Comitatum, quo geminum exercitum irrupturum esse præsenteras, tuâ prudentiâ tuerere: dignus profectò, quem Ludovicus Torquatae virtutis ac prudentiæ tuæ præmio præcludere ad majora videretur.

Neque te prætermittam, Noalli, paternæ cum fortitudinis, tum experientiæ tam diligens æmulator; qui nuper trajecto per intricatas & inexplicabiles

biles vias exercitu, periculi securum hostem tam feliciter suis in castris oppressisti; ut relictâ suppellectili, nec sumptâ ad fugæ apparatus morâ, suam equorum velocitatî salutem credere cogere-
retur.

Neque vos flebo pariter, Artagnane, Bezonsi; Te quidem, qui repentino Varnetonensi excidio cæteris ad rem fortiter totâ æstate gerendam quasi vexillum sustulisti: Te verò, qui suspicatus sagaciter in Hispaniâ fallaciam ac dolum, Gallum militem ab imminente clade fervaveris. At non levem editæ jam aliàs multis in locis fortitudinis, atque industriæ mercedem ambo recepistis, quos Ludovicus Marscallorum in ordinem transcripsit.

Verùm enim verò inter celebrandos gentis nostræ Duces quàm novo, quàm insolito fulgore percellor. Inter has Galliæ nostræ tenebras, quas quidam præter cæteros, si Superis placet, oculati deprehendant, geminum sydus elucet; quorum alterum altero splendidius ne sit, an præsentius, non facilè dixerim. Villartium dico, Auditores, ac Bufflerum, quos appellasse, laudasse est, tantum in utriusque cum fortitudine tum experienciâ præsidium Gallia & adfuisse sensit, & adfuturum deinceps pollicetur. Bufflerus vigil & erectus, somni impatiens ac quietis; Villartius tranquillus ac quietus, etiam inter arma ludos celebrabit. Illum ubique præsentem cerneris; hunc præsentem credideris, vel cum absuerit longius. Ille magnum quid meditans semper & in eo totus vel hosti fruit insidias, vel ab eodem structas eludit; hic nunquam lætior & magis expers curarum, quàm dum grande quidpiam molitur ac perficit. Sensit in Bufflero Gallia nihil esse limitibus suis pertimescendum; sensit hostis in Villartio vel suis penetratibus omnia esse metuenda. Si arcendus hostis, si sustinendus gravis impetus, habes in Altero firmissimum propugna-

pugnaculum, quod nulla vis evertat, aut frangat; si laceffendus idem aut impugnandus, habes in Altero, qui nihil invium putet, nihil inaccessum patiat. Ille vinci nescius; hic certus vincere. Ille tutamen; hic decus. Ille Galliae Clypeus; hic Bonifis. Bufferus servasset nobis Insulas, si contra vim solam obsidentium certandum habuisset: Villartius cumulatam ex omni parte laudem in Flandriam retulisset, nisi convolantem ad victoriam vulneris acerbitas retardasset. Quamquam perennes tibi gratias, ô Deus, qui alterum ex periculosâ defensione incolumem, alterum è cruento vulnere sospitem in dubia Galliae tempora servaveris.

Hactenus quantum Gallia adversus ingruentes hostes tum in fortitudine militum, tum in Ducum experientiam praesidium habeat, demonstravimus: nunc quale subsidii genus adversus annonae caritatem & divitiarum penuriam ex ubertate soli & privatorum opibus expectet, excutiamus.

II. PARS.

Habet hoc publica calamitas, Auditores, nunquam ut illius sensus acrior esse soleat, quam cum ad res privatas pertinet. Eversiones urbium, provinciarum excidia, regnorum conversiones, fatalem armorum aleam nemo ferè doleat, cui tam infortunosa detrimenta nihil incommodi pepererint. At si communis mali partem aliquam in singulos refundi contigerit, jam id ipsum, quod ferebatur æquius, incipit intolerandum videri. Quare tanto minus mirum & insolens videri debeat, esse hodie tam multos, qui de caritate annonae, & opum penuriam conquerantur, quanto pauciores invenire sibi qui se ab istâ temporum difficultate prestare incolumes possint.

Tamen quid querimur tanquam proprium Galliae nostrae malum, quod non modò cæteris Europae

ropæ populis non parcit, sed in eosdem sævit acerbius? Agite; qui penuriæ illius, quam patimur, auctores arguuntur atque artifices; an illis ita provisum est, ut de acerbitate temporum nihil exposculent? An eorum agris indulget hyems mitior? an avari agricolæ votis & expectationi respondit? an, quam dolemus esse apud nos tam raram, pecunia ipsa sic apud eos abundat, ut indigentia nostræ insultent? sed leve est illud miseris solatium, quod miseriæ suæ socios habeant. Ergo scrutemur præsentius aliquod calamitatis nostræ solatium, nec aliunde quàm ex ipsâmet Galliâ eruamus. Interim vos ignoscite, Auditores, si retractare rursus videar iniquiora quædam Annalium nostrorum tempora, quibus Galliâ graviores multo annonæ pariter opumque angustias experta est.

Quàm fatalis hic fuit, quàm luctuosus Galliæ dies, quo Franciscus I. tentatâ infeliciter recuperandæ Mediolanensis Ducatûs aleâ, cæsoque ad Ticinum Gallico exercitu, victus ipse captusque Madritum traheretur, & suam tristissimis fati Galliam relinqueret! Etenim ad illam desolati imperii orbitatem quanta rerum calamitas accedebat! Exhaustum bellis prioribus ærarium, accisæ populorum opes, Regni ordines universi, qui immensos sumptus funestissimæ expeditioni impenderant, crudeles inter angustias versabantur. Quin & supremus malorum omnium cumulus hic fuit, ut sæviret hoc anno totâ Galliâ hyems atrox & exitiosa, quæ vitiatas ad radices ipsas maceratisque segetibus, miserissimam in omnes provincias famem induxerat.

Sed quid ego hæc persequor, dum amores suos ac delicias mærens Aula, afflicta civitas parentem optimum, tota Gallia tutissimum rerum suarum columen requirebat, & duriolem cæteris ærumnis Regis fortissimi ferebat absentiam? At unde in communi Populorum inopiâ Galli erue-

rent auri satis & argenti, ad faciendam incredibilem ambitiosi Principis avaritiam, quam nobilissimæ ac pinguisimæ Imperii nostri provinciæ non explerent? Quanquam ignoscendum Carolo V. Auditores, qui pulchrè nosset, quantum haberet apud se pignus, & quanto à nobis poneretur in loco. Sciebat non satis grandi redimi eum pretio posse, qui pretium omne excederet. Neque vero avaros vel in paupertate suâ Gallos Franciscus agnovit: ac licet rerum domini, absente Rege, neque gratiosi forent apud populos, neque ea committerent, quibus amorem ac benevolentiam mererentur; vicit tamen sincera in Regem pietas similitates & odia, & vicies centenis aureorum millibus Principis optimi libertas redempta est. Quis in eâ rerum omnium penuriâ credidisset tantum erui posse ex privatorum opibus subsidium? At non iis se continuit finibus populorum liberalitas; Redditus suis regnôque Franciscus sensit ex ipsâ indigentia crescere abundantiam, & novis auctus ex insperato præfidiis ita cœpit invalescere, ut, & ad renovandum bellum acrius quàm ante, & ad coercendam rivalis sui ambitionem paratior accederet.

Sed, ô rerum vices ambiguas, Deus immortalis! quibus amicam gentem periculis identidem objicis; quibus ærumnarum modis eandem exerces & probas! Ecce jam non frigoris inimica vis, ut ante, sed æstus importuni per quinquennium perennitas tristius prioribus malis calamitatis genus per universas Galliæ provincias importat. Regnabat æstas una, neque aliam toto anno tempestatum vicissitudinem agnosceres, nisi quam dierum inæqualitas efficeret. Hinc terra perpetuis incensa caloribus, qui nec quiescere illam finerent, nec darent locum coquendis succis vitalibus, quos premere hyems aliquandiu & comescere debuisset, virescere ante tempus contra nativam indolem, & steriles

riles herbas producere. Hinc arbores, foliis cadentibus, pullulare statim flores in præposteros, quos nulli fructus sequerentur. Hinc procreari intra terræ viscera vermium ac belluarum repentina vis & copia, quæ vix ortum germen è semine depascerent. Uno verbo hinc lævire omnium ubique agrorum sterilitas, tanto gravior, quanto longior!

Nolite existimare, Auditores, hæc comparata fuisse à me diligentius ad consolandam aut mitigandam hodierni temporis acerbitatem. Nihil hic loquor non exaratum publicis Literis, nihil Scriptorum nostrorum fide non confirmatum. Vidisses dominante in agris fame infinitam miserorum multitudinem ex pagis, ex oppidulis inundare urbes, obsidere domos, opplere vicos ac plateas, & à civibus frustra precari calamitatis suæ solatium, quod ipsi ferre sibi non possent. Alii pallore longo ac pedore obsiti, lividis & mediâ jam in morte natantibus oculis, circuire passim compita, & gemitibus ac lamentis omnia latè loca personare. Alii torridâ macie luridi, mortuis cadaveribus, quàm vivis corporibus propiores horrorem ubique ac metum geminare; alii ab inficetis dapibus & inusitatis ante hunc diem cibus tumidi, exangues per artus tetram obviis & plenam noxiâ contage animam afflare. Alii, quos ægri ac vacillantes pedes non ferrent, humi jacere languidi, & mortem inter ac vitam luctari. Alii quibus difficilius erat vivere, quàm perire, in funereo illo mortis vitæque confinio, id ipsum dolere, quod nec vivere liceret, nec mori.

Quid pueros dicam matrum inter ubera mammam appetentes pro lacte saniem ac sanguinem, pro vitâ mortem exsugere? quid matres ipsas defixis miserabiliter in infantes oculis contabescere luctu, & inter funereos sobolis amplexus animam

exspirare? Quid exortam loquar è contagio cada-
verum grassantemque per populos fœdam luem at-
que pestilentiam, quæ, cum nullum à medentibus
levamen pateretur, certam contaminato spiritu
mortem afferebat.

Hæc vetera sunt, Auditores; fuerunt hæc mi-
sera quidem nec deploranda factis, regnante Fran-
cisco I. tempora, quibus sic exhaustam omnibus
adjumentis Galliam fuisse diceres, nihil ut deinceps
posse videretur, quàm laboriosam desistere egesta-
tem. Quid si in istâ rerum calamitate profuderit
illa nihilominus è sinu suo divitiarum factis, unde
Rex optimus duos liberaret filios, quos paternæ
fidei obsides Carolus V. apud se retinebat? quid
si numerosis terrâ marique exercitibus metuen-
dum Principibus æmulis Franciscum ostentavit?
Quid si nunquam Aula florentior aut magnificen-
tior, quàm regnante Francisco I. visa sit. Testan-
tur hodièque tot superba monumenta, tot regis
ædificiorum moles, tam profusa in literatos homi-
nes liberalitas temporum illorum copiam & abun-
dantiam; &, cum nullis impensarum sumptibus
Princeps munificentissimus parceret, non modò
non exhaustit, aut alieno ære regium obligavit æra-
rium, sed refertum opibus moriens cumulatimque
successoribus transmisit. Tamen his temporibus,
Auditores, nondum habebat Gallia cum Peruanis
Mexicanisque aut affinitatem, aut commercium;
neque aureis ex sodinis uberiores ipsi etiam do-
minis fructum ferre didicerat.

Hinc existimate per me licet, num locus esse
debeat querelis illis gravioribus, quas annonæ cari-
tas hoc anno suscitavit? Num tam accisa, tam de-
plorata videatur Galliæ conditio, ut nulla fati me-
lioris expectatio affulgeat. At enim peccavit hic
annus, inusitata quædam acerbitas hyemis & diu-
turna frigoris malignitas miseram in agros sterili-
tatem

tatem invexit. Emortuæ passim arbores, rei frumentariæ penuria durissimi temporis etiamnum admonent, & ingrata[m] quotidie memoriam refricant. Durum id quidem, Auditores, at itane serpsit hoc malum, nullas ut contagis expertes provincias reliquerit. Testis Aremorica & Andegavensis regio, testis inferior Normannia, testis Sueffionensis ager tractusque Carnutensis, ubi alendæ toti Galliæ par frugum copia succrevit.

Sed esto; fuerit communis ubique sterilitas: an continua tot annorum ubertas ac copia nihil ad mitigandam unius anni egestatem contulit? an hic ipse annus fuit ex omni parte tam sterilis, tam infructuosus, ut Hyemis unius vitium, Veris, Æstatis, Autumnique benignitas non correxerit? Nam ubi tandem tellus non reddidit cum sænore, quod per breve tempus negaverat? quibus non aperuit illa sinum divitem, & nativæ sæcunditatis specimen non dedit? Diceres pœnituisse illam suæ contra naturam atque indolem tarditatis, & ad recreandam, quam fecisse videbatur, ægritudinem sæcundum ubique pectus concussisse.

Hic ego parcam provocare vos ad recentem præteritorum temporum memoriam; non jubebo vos meminisse, ut ante annos aliquot, cum iterilis & infructuosa messis spem Galliæ fefellisset, exorta repente frugum omnis generis, ac fructuum copia tantam quocumque locorum intulerit ubertatem, quantam lætæ sæcunditatis diuturnitas afferre potuisset. Verum hoc unum velim circumspicere vos, quàm bonas ubique frugiferæ Cereris in proximam æstatem Gallicum solum spes jam faciat. Interrogate eos qui veniunt ex agro, ut commissum terræ visceribus semen exoriatur feliciter ac pululet! ut omnis arbor ad profundendos uberes fructus jam parata, increpare morantes Zephyros videatur; ut ipsa corpora vividum in se nescio quid,

& uberius anni felix augurium quodammodo præsentiant! Non ingratum nos Galli aut avarum aramus solum; habet hoc tellus nostra supra reliquos regionum tractus singulare, ut alienis opibus non egeat, neque suis tantum sufficiat incolis, sed ad alendam ditandamque exterorum inopiam nata sit. Atque utinam, qui exercent illam atque excolunt, ipsi minus ingrati, & avari minus invenirentur, posset illa quiescere identidem, & sine cujusquam damno tantisper otari.

Verum an æquiores debent videri qui rem Numariam in Gallia periisse clamant, nec spem restituendæ illius affulgere. Equidem quis neget, Auditores, esse hanc fatalem armorum aleam, ut gravissimis sumptibus obnoxia sint, tamque publicæ opes ac privatæ decrescere soleant, quam diuturna belli ipsius pertinacia est. Tamen si vel ipsis Francisci I. temporibus, quibus regis pariter ac privatorum opes tam luctuoso fuisse loco Historici nostri testantur, nihil Gallis defuit, vel ad resarciendas graves ruinas, vel ad tuendum Regni Regisque splendorem; existimabimus iisdem illam præsidis esse nunc destituendam? Ne faciamus hanc ætati nostræ contumeliam, Auditores, ut vel calamitosior vel peior prioribus sæculis habeatur. Nihil nos sumus ab antiqua virtute degeneres, & quæ Majores nostros difficillimis in rebus opum, fortunarum, sui ipsorum prodigos sensit Gallia, similes in Nepotibus sensus, parit studium, easdem voluntates experietur. Prodibunt tandem, quacumque parte defossæ lateant, opes illæ quas populorum securitas, regni salus, amor & gloria Principis sibi vindicant. Erumpet natum veluti repente telluris è visceribus Aurum & Argentum, & in publica commoda liberaliter profundetur, Vincet inopiæ metum spes & confidentia, opum amorem patriæ
charitas,

charitas, privatas utilitates ratio communis rei superabit.

Quanquam quid vetera Majorum nostrorum exempla repeto, cum præsentibus abundemus; vel quid ex levibus conjecturis æstimo prodigam populorum in usus publicos liberalitatem, dum consignata tam insigniter ipsorum munificentiae argumenta suppetunt. Agite, Auditores, nam cur ego dubitem gentis nostræ studium & æmulationem ambitiosius prædicare? Agite, inquam, ex quo funestum fatalis belli flagrat incendium, quàm studiosos publicæ rei populos Gallia, eosdem quàm amantes sui Principis sibi gratulatur? Quibus enim verò impensis paucitum ac sumpibus ad arcendum hostem, ad alendos exercitus, ad tuendam regiae familiae majestatem? Cedo vel ætatem, vel sexum, vel conditionem, quæ non venerit in societatem publicæ beneficentiæ, & de suo contulisse plurimum in rem communem gloriari non possit? Da Proceres in Aulâ, Bellatores in castris, Magistratus in foro, mercatores in tabernis, artifices in officinâ, quos oneris sua pars non contingat? Quàm multi sunt, qui dignitatis onerosæ gradum adepti sine pretio serviunt, & non mercenariam, sed gratuitam operam collocant, nullius rei, præter laudem & gloriam, avari.

Est aliquis hodie qui pro communi causâ se non habeat durius, non parcius vivat, non habitet modestius, in vestibus, in mensâ, in supellectili, in apparatu domestico plurima de luxu, de voluptate, de commodis, ipsâ de necessitate non subtrahat? Laudet Rôma Fabricium suum, qui aurum vel argentum ad mensam non ferret. Quàm multos habet hæc civitas, quàm multos Aula Fabricios, quos fictilibus cœnare non piget, dum auream & argenteam supellectilem ad sublevandam rei Nummariae

G g 5

penu-

penuriam ultrò ac volentes impendunt. An ergo levia fuerunt isthæc hæcenus Gallicæ rei subsidia? an profusæ privatorum opes tam liberaliter parem in futurum tempus, si res postulet, charitatem ac benevolentiam non præsent. Felix quidem populus, qui Principi nec ingrato, nec immemori fortunas suas commodet! Feliciorem audeo dicere Principem, qui tam amantem, tam prodigum sui suarumque rerum populum experiatur! Absolvamus, Auditores, & quantum in religione suâ ac pietate subsidii habeat Gallia vel ad recuperandam, vel ad tuendam nominis sui gloriam, paucis demonstramus.

III. P A R S.

Nihil tam incentivum sui est, Auditores, nihil quod æmulationi tam obnoxium esse soleat, quàm gloria. Enimverò habet illa nescio quid, quod perfringit oculos, & ambitiosos naturâ suâ animos illicit. Hinc cum illud semper fuerit singulare veluti Gallorum fatum, ut dignitate nominis ac splendore reliquis in orbe toto nationibus facillè præcellerent; nulla gens extitisse visa est, quæ aut acriores aut constantiores hostes habuerit. Verùm quid æmulatione suâ plerumque promoverunt; nisi ut novam amplioris gloriæ segetem afferrent; aut si offusis aliquando tenebris obscurare tantisper nostri nominis gloriam visi sunt, nativæ Gallicæ gentis pietas & constans amor Religionis obductam brevi depulit caliginem, & pristinum lucis splendorem restituit.

Eò venerat ille Gallici nominis splendor regnante Philippo Augusto, ut capere deinceps incrementum posse non videretur; adeo metuendam hostibus suis Galliam Rex fortissimus fecerat! Pulsus ultra Garumnam longius, & in reducto conclusus terrarum angulo vetus ac perennis Gallorum æmula-

æmulator Anglus, nec revellere cancellos, nec prætergredi limites, quos posuerat parta de ipso multis in locis victoria, confidebat. Tamen qui Philippo successerat Ludovicus VIII. paternæ virtutis ac gloriæ hæres dignissimus novum regno decus, novam felicissimi regiminis admirationem cæperat conciliare. Cùm heu! breves populorum deliciæ, Ludovicus in primo ætatis succisus flore filium impuberem Ludovicum IX. sub piâ matris utelâ reliquit.

Et si autem Blancæ nihil deerat ab iis virtutibus, quæ conciliant regnis auctoritatem & gratiam: tamen Galliæ Proceres iniquiùs passi sœminæ imperium, quasi contra fas & leges nere Lilia viderentur; dum unusquisque ambitioni servit & moderandi regni jus sibi arrogat, ad eas infelicem Galliam angustias adduxerant, ut penè veniret hostis in ludibrium, in ruinam certè minimè dubiam inclinaret. Verùm pietatis in gremio & Religionis in sinu educatus Ludovicus IX. magnum laboranti Galliæ subsidium præparabat. Is enim, quem Regina Blanca, frendente nequicquam Magnatum æmulatione, salubribus ad bene piæque regnandum documentis informaverat, vix habenas imperii cæpit moderari, cùm Gallia desit esse, quod erat; aut potiùs pristinum, quem per tenebricosa quædam tempora videbatur amisisse, splendorem resumpsit. Pulsus, domitùsque rursus Anglus, qui pueritiâ Regis & procerum abusus discordiâ se se erexerat: extincta Albigenis Hæresis, quæ regni fines ultimos infecerat: compressa ac pacata Optimatum æmulatio, quæ civiles intra ipsa Galliæ viscera, & bello quovis extero perniciosas magis discordias fuscitârat. Denique compositis ubique rebus omnibus tantam eximia Regis optimi sanctissimique pietas ac religio auctoritatem, reverentiam, admirationem orbi Gallico concitavit, ut securus deinceps

ceps

ceps tam à domesticis quàm ab exteris hostibus Ludovicus metuenda terris Orientalibus Lilia deportaret.

Non est ea Galliae nostrae conditio, quantumvis graves sortis adversae casus pertulerit, Auditores, vel ut exciderit penitus ab eâ gloriâ, quam res olim fortiter feliciterque gestae pepererant, vel ut hostibus suis parum hodièque reverenda videatur. Senserunt ipsi nuper non abesse ab iis mares animos, à quibus fortuna recederet; & quod vix nobis ipsi auderemus gratulari, hoc ipsum sentire de Gallis & profiteri non dubitant. At si, quod inficiari non est animus, perpetuae tempestates ac procellae, quibus Gallia jactatur, aliquas Gallico caelo nubeculas obduxerunt, spondet constans ac sincera Regis optimi pietas ac religio, ad futurum brevi amicum solem, qui obsitam caliginem discutiat, & pristinae lucis vim ac fulgorem restituat. Deus ille, quem nos colimus, Auditores, Exercituum arbiter, & moderator eventuum, qui res prosperas pariter & adversas eadem manu dividit: Deus ille vel amicos interdum probat, & gloriae illius, quam tribuerat affatim, partem subtrahit aliquam, si fors, quos sensit modestos in prosperis, eosdem in adversis patientes approbet.

Revocate animo, Auditores, nam cur dulcissimâ praeceptorum temporum recordatione praesentium acerbiter mitigare quoquo modo, & consolari non liceat? Revocate, inquam, longam illam annorum seriem, per quos Gallia aut suavissimis tranquillae pacis, quam orbe toto fecerat, gauderet fructibus; aut perpetuam ex rebus bellicis gloriae segetem sibi videbat accrescere. Qualem inter prosperos illos rerum omnium eventus vidimus Ludovicum! Quales invicto ipsius animo parata tam ex pace, quàm ex bello felicitas & gloria
sensus

sensus instillabant! An insolescere lætis in rebus, aut victis hostibus insultare? an felices illos providentiæ, fortitudinis, fortunæ suæ parus sibi metipse gratulari? an personantibus undique plaudentium populorum præconiis permulceri plus æquo visus est? Imò quis illo inter erecta passim gloriæ suæ monumenta modestior? quis in audiendis pacis conditionibus paratior? quis in coercendo, laborantis orbis in gratiam, victoriarum cursu temperantior extitit? Arbiter olim Europæ totius quem cupidius ambivit auctoritatis suæ atque potentiæ fructum, quam ut pietatis studium ubique accenderet; Galliam suam hæresum monitis purgaret; avitum Religionis veræ cultum aut resstiueret, aut ampliaret; Religionem ipsam in longinquas orbis reducti plagas propagaret?

Tu, qui penitissimos cordis humani sensus nosti, & altissimas mentium cogitationes scrutaris esto mihi testis, ô Deus, qualem ipse felicissimos inter rerum prosperarum exitus religiosissimum Principem persenseris? Cùm potentissimas conjuratæ in Galliam Europæ copias Ludovici virtute contereret; cùm multiplicares ipsi victorias, cumulares triumphos, palmas ac laureas aggereret; cùm augustam ipsius familiam numerosissimâ sobole fecundares; cùm alterum è Nepotibus florentissimo Imperio Regem præficeres; cùm eundem optatissimis Pronepotibus Proavum fortunares; an oblitus sui est Ludovicus, aut tui? an beneficam ignoravit manum? an non reveritus illam est, ut par erat, & suæ felicitatis pariter ac gloriæ conciliatricem professus est?

Quoties vidisti illum prostratum ante aras suppliciter, demissis modestè ac collacrymantibus oculis, supinis manibus, vultu ad pietatem composito sinceram tibi referentem gratias, dum missis per

uni-

universam Galliam Literis populos beneficentiæ tuæ admonebat; dum ædes sacræ tuis laudibus personabant; dum erepta victis hostibus trophæa ad perennem rei memoriam templorum tholis appendebantur.

Tibi visum est, ô Deus, felicem illum rerum ex voto fluentium cursum interrumpere tantisper; subtraxisti nonnihil ex illâ gloriâ, quam addicta Gallicis vexillis victoria pepererat; an sensisti dissimilem sui Ludovicum? an mutatus in contraria invicti Regis animus est? an placidæ mentis æqualitas ex illâ tot eventuum inæqualitate vicissitudinis quidpiam ac varietatis contraxit.

Cùm pugnatum fuisse infelicitè, & assuetos vincere suos exercitus potuisse vinci nuntiaretur; cùm luctuoso suavissimi Pronepotis funere perturbari gaudia sua, & spem regni dulcissimam eripi sibi cerneret; cùm Augusto Nepoti gravissimas inter tempestates ac procellas fluctuanti metueret; cùm præpostera sæviret annonæ sterilitas, & tristissimam ipsi Galliæ perniciem minaretur; an dolere visus est præter modum Princeps religiosissimus? an adversam de manu tuâ sortem tulit iniquis, quàm prosperam exceperat? an constantis obsequii erga te sui ipsum pœnituit? an ingrata negotiorum in mole de suo in Religionem studio quidquam remisit? an abusam malè turbidis temporibus & res novas molientem Hæresim minùs fortiter compefcuit ac repressit?

Quid ultra poscis, ô Deus? Habes, quod volebas, tam patientem in adversis Ludovicum, quàm modestum in prosperis. Posueras illum jam diu Principibus in folio constitutis præclarissimum heroicarum virtutum specimen, eundem hodie Christianæ pietatis ac constantiæ perfectissimum exemplar exhibuisti. Quid superest, nisi ut, quam Heroi
Gal-

Gallico tribueras olim gloriam, eandem Christiano Principi tuaris ac conserves? Agitur, parce, si dico, ô Deus, agitur tui ipsius nominis gloria, Ludovicus ut floreat, quem inter cæteros Christiani orbis Principes acerrimum tuæ gloriæ vindicem atque assertorem nactus es: qui sapius professus est palàm, Religionis tuæ decus ac gloriam suâ ipsius aut regni sui salute sibi esse chariora: qui toti Galliæ pietatis ad exemplum atque incitamentum præluceat: qui nusquam oblitus suæ dignitatis ac majestatis visus est, nisi cum in præsentia tuâ abjectus ultro ac depressus sacra tuæ charitatis atque misericordiæ monumenta veneratur. Redeat ergo fidelis constansque cæptorum ipsius comes Victoria, quam hostes tui exulasse à nobis tam superbè jactitant; redeat ubertas & abundantia, quam, tuâ inprimis curâ, Gallicus Populus suæ in Regem optimum fidei ac charitatis mercedem sibi redonari postulat: redeat splendidior illa Imperii hujus gloria, pietatis ac religionis incremento tantopere profutura. Denique quod unum beneficæ dexteræ tuæ pretiosissimum munus est, redeat per te longa pax, amica pax, quam frustra quæramus armis, frustra, nisi tu illam unus Pacis largitor dederis, votis omnibus appetamus.



UTRA



UTRA UTRI PRÆSTET
 ELOQUENTIA,
 SACRA,
 AN FORENSIS.
 ORATIO X.

Vastum habuit semper & plenum magnâ rerum
 ubertate campum, in quo feliciter decurreret,
 Eloquentia, cum Sacra, tum Forensis, Illustris-
 simi Ecclesiæ Principes, Præsides Illustrissimi, Amplis-
 simi Senatores, Viri omnium Ordinum Ornatissi-
 mi. Verùm in vario dicendi genere utra utri præ-
 stet, aut majorem adeptâ laudem ac gloriam videri
 debeat; neque meminî disputari usquam curiosius,
 neque rem controversam penitus atque ambigam
 definiri.

Expectatis hîc fortè, Auditores, ut ego, sin mi-
 nùs pro facultate ingenii mei, quod sensi semper
 quàm esset exiguum, saltem pro magno usu, &
 longâ illius artis, quàm profiteor, exercitatione
 hujus controversiæ judicem atque arbitrum me
 constituam. Neque hoc verò si tentare videar,
 quisquam è vobis mihi non indulgeat, quem con-
 tritum per tot annos, defunctumque multis labo-
 ribus persensistis. Nam quis in hac umbratili pa-
 læstrâ sudavit tamdiu vel aluit? quis in ludicris in-
 genii doctrinæque certaminibus plura stipendia
 meruit? quis è Rhetorum Collegio exacta jam in
 hoc

hoc stadio lustra quatuor enumerat? An non ergo, quod donatis jam rude & multarum palmarum nobilibus Athletis olim concessum fuit; ut extra discrimen alexæ positi de pugilum cæterorum fortitudine atque solertiâ judicarent, hoc mihi in hodiernâ contentione pariter liceat, citra cujusquam offensionem, meum interponere iudicium?

Quamquam absit, Auditores, ut eâ, quam vel annorum numerus, vel ipsa canities peperit, abuti auctoritate videar. Malim ego rem totam vestris permittere arbitrâs. Existimate vos ipsi, utra priores ferre partes debeat Eloquentia, Sacra, an Forensis. Nam quos in hac causâ cognitores ac iudices cupidiùs ambiam, quàm clarissimos Viros, qui nos præsentia suâ recreant ac cohonestant? Quocumque enim feram oculos, video in hoc amplissimo cœtu clarissima Fori lumina, video multa sacrarum exedarum ornamenta, quibus utriusque Eloquentiæ vis, pondus ac momentum ignota esse nequeant. Ac licet ex eorum numero non paucos mihi gratulari possim, qui in hoc exercitatu Lycæo & ex nostrâ disciplinâ profecti suffragari meæ sententiæ pro suâ humanitate non abnuerent; tamen illi nostris manibus atque industriâ informati primùm rudiùs, rantos deinceps ingenio suo, labore atque solertiâ fructus fecêre, ut ab eorum iudiciis pendere non verear, nec in discipulis olim meis, meos hodie magistros venerari.

Duo sunt in primis, Auditores, quæ Sacram in-
ter & Forensam Eloquentiam contentionem mo-
vere, & cuiuspiam, si qua est alterius in alteram,
dignitatis atque præstantiæ possunt præbere funda-
mentum. Primum petitur ab earum rerum naturâ
circa quas agitandas utrumque dicendi genus ver-
sari solet. Alterum oriri potest ab iis ipsis, qui-
buscum res ejusmodi tractantur. Habent nimirum
Eloquentia tam Sacra quàm Forensis variam ac
H h diffimi-

diffimilem rerum segetem, quibus in exercendis occupentur: est etiam utrique varium ac dissimile genus hominum, in quos vires suas exerant. Hinc ratio multiplex commodi pariter atque incommodi nascitur, unde alterutrius in gratiam liceat pronunciare. An igitur natura rerum circa quas utraque dicendi facultas versatur, facit, altera ut alteri videatur præferenda? An indoles eorum, apud quos utrique dicendum incumbit, uni potius quam alteri prærogativam arrogat? An ab argumento ipso, an ab audientium conditione repeti debeat alterutrius præstantia, geminâ Orationis parte excutiemus. De rebus, quas Eloquentia cum Sacrum Forensis agitant, priore quidem loco; de iis verò apud quos vicissim dicendum habent, posteriore differemus.

P A R S. I.

Ac primùm quidem quanta se objicit rerum illarum sublimitas, quæ materiem Eloquentiæ Sacræ suppeditant! quanti est in iis argumentis versari, quæ reverentiam ex se se, admirationem, & sacrum quemdam metum inspirant! quàm juvat habere in promptu immensam ubique dicendi sylvam ac segetem, quam exhaurire non possis! quàm commodum est orationis suæ præsidia nunc è Cælo, nunc ab Inferis accersere! An in iis rebus tractandis aut jejunum aut indifertum esse Oratori liceat?

Agite enimverò, Auditores, numquid illa videri possit infortunata vel sterilis messis eorum, qui sacris è pulpitis verba faciunt, quorum fors ea est, nihil ut nisi grande, nisi immensum, nisi sublime unquam sapiant? Illi dicendò supremi Numinis majestatem attingunt; quid nobilius? ejusdem virtutes infinitas explicant & efferunt; quid plenius? Oracula interpretantur; quid illustrius? promissiones

fiones exponunt, quid optabilius? minas aperiunt; quid terribilius?

Hinc porrò quanta Oratori Sacro conciliatur auctoritas ac reverentia! quantum Eloquentiæ ipsius pondus ac momentum accedit! Nam quis deferendum illi ultro honorem non putet, qui tam honorificâ legatione defungatur? quis dare fidem loquenti abnuerit, quem divinæ voluntatis interpretem agnoscat? quis affirmanti quidpiam reclamet ac contradicat, qui Veritatis ipsius testimonio niti censeatur? At licet in explicandis aperiendis-que Religionis mysteriis implicata multa, abstrusa pleraque, plurima, quæ humanam fidem excedunt, sacer Orator eloquatur; quis tam dociles & ad omne promptos obsequium non afferat animos, ubi tantam ipsâ argumenti dignitas gratiam ac reverentiam accersit?

In tantâ rerum sublimium segete ac majestate, ullâne in Oratore Sacro possit esse mediocritas? qui nihil habet dicendum nisi magnum & admirabile, an nauseam pariat atque fastidium? divini verbi vis tam potens an præconis in ore robur amittat? Certè non videmus deteri quidpiam de fulgore auri, quacun- que manu tractetur: nihil perdit saporis sui liquor optimus, vel si canalis ille, per quem defluit, pretium ex se se non habeat.

Abfit, Auditores, ut verendum divini Oratoris munus, quod ego semper duxi magno ponendum in loco, vellicare, vel eos ipsos qui tam honorificâ provinciâ defunguntur, arguere vel insectari confidam. Verùm omiſſâ atque ejuratâ maledicendi pruriginè, liceat mihi inquirere, cur in tantâ rerum dicendarum majestate vileſcant sæpè eorum non pauci, nihilque ex fulgore præter fumum dare videantur.

Dicamus quod res est: ambitiosi sumus ingenii nostri ostentatores, ac nihili facimus quidquid na-

viâ simplicitate exurgit, aut efflorescit propriâ pulchritudine, nisi inventis nostris luceat aut etiam splendeat quadam dicendi novitate. Atque hæc prurigo mala Sacros Oratores tanto sollicitat magis, quanto proprii minùs privatiq̃ juris res agitant. Scilicet dives ille sit quantumvis ac ferax, quem exercent, dicendi campus, obvius est & apertus undique; multorùmque vestigiis consignatus jam diu, rarum offert tramitem, per quem aut solus, aut cum paucis insistas. At spernitur ea laus quæ vulgaris est, nec avidum gloriæ pectus ea merces exsatiat, quam partiri cum aliis necesse sit. Igitur operæ pretium facturos se arbitrantur, si se à vulgo fecernant, & in communi argumento ea dicant, quæ minimè communia sint.

Quantæ porrò molis est aperire sibi novas viarum aditus, & in iisdem decurrere tam feliciter, ut in errorem non incurras! Rarum, mihi crede, genus illud hominum: & quod de Oratoribus sui temporis aiebat Tullius, tam infrequens, ut vix singulos singulæ ætates ferant.

Gratulemur equidem ætati nostræ, Auditores, quæ, ut in reliquis cujuscunque generis artibus viros tulit superioris cujusdam ordinis ac dignitatis, ita nec caruit Sacris Oratoribus, qui tritam cæterorum vestigiis viam prætergressi, inusitato ad gloriæ tramite pervenerunt. Plaudat illa sibi etiamnum hodie per me licet, & peritum, si quod est aliud, in æstimandis hominum ingeniis Aulæ judicium ostendet, quæ se Oratoribus suis beatam ac felicem arbitratur.

At lugeat, ut par est, illa amissum recentissimè Sacrum Oratorem, qui plurimos luxit ipse tam disertè, & receptas cælo felices animas tam novo, tam singulari, tam idoneo præconio toties decoravit. Beatam ô nimis Nemausensem Ecclesiam, dum sollicitum in illo, vigilem, assiduum, beneficium Pastorem

storem nacta sibi meritò gratularetur ! miseram hodie, quæ ducem in eodem tutissimum, sapientissimum moderatorem, parentem optimum desiderat ! Tamen Eloquentiæ Sacræ non periit totus; vivit, vivetque diu disertissimis in Orationibus, neque ætas vel fera de eximiâ tanti Oratoris facundia minus, quàm de cumulata sacri Præfulis virtute conticescet. Verùm inexpertum illud Eloquentiæ genus dum affectant multi; dum novâ dicendi ratione novum nomen ambiunt, quàm aberrant graviter à verâ germanaque laude ! qualem animo Eloquentiæ Sacræ speciem informant ! quàm sui ipsius dissimilem. & quibus personatam larvis obtendunt !

Placet illa imprimis nativo cultu & simplici, alieno & ab arte comparato non eget : proprias habet opes ex sese, peregrinas non ambit gazas. Virginem suapte naturâ formosam diceres, quæ nunquam appareat pulchrior, quàm cum ornata minus incedit: cui apparatus omnis plus auferat decoris ac gratiæ, quàm tribuat.

An non enim verò fatalis illa est plerumque eorum conditio, qui Oratoris Sacri munus obeunt, ut, dum laudis avidi plus æquò prætervolare vulgus Oratorum, & singulari commendare se dicendi ratione nituntur, non tam genuinam Eloquentiæ Sacræ copiam ac majestatem, quàm futiles ingenii sui fœtus obrudant ?

Alii oblectandis auribus magis, quàm erudiendis animis attenti, sine nervis orationem mancam atque elumbem effutiunt : in accurandâ periodo seduli, in componendis Antithetis diligentes, in rimandis castigandisque voculis curiosi, politis Academicis frunt, quàm Sacris Oratoribus propiores. Alii in pingendis adumbrandisque moribus toti, de virtutibus ac vitiis ita disputant, ut non tam doctrinam Christi pertractare, quàm Socraticam insti-

tuere scholam videantur. Alii proscripti jam sæpius erroris fautores usque pertinaces hoc inoliuntur unum, unum hoc student, ut præjudicia sua tueantur, ut per latebras ac cuniculos aut novum desperatæ causæ subsidium parent, aut eludant ictus, aut detorqueant tela, aut in proscriptionis auctores atque artifices exoletis jam diu vindictis facti invidiam atque odium declinent.

Inde igitur ab ipso argumento repetenda est Sacræ Eloquentiæ difficultas, quòd neque Oratori Sacro liceat à divini verbi simplicitate deficere sine vitio, neque Religionis dignitatem repræsentare sine quadam dicendi majestate ac gravitate sententiarum. Quo in genere eluxere omnino pauci, qui parabili nec longè accersitâ oratione verbis suis fidem facerent, neque tamen humili ac pedestri stylo reperent humi, dum cœlestia meditantur ac prædicant.

Talem ætate nostrâ vidimus ac suspeximus Virum illum, qui prudentum eruditorumque hominum judicio, Oratorum sui temporis facile princeps audiebat. Is ita sibi temperavit in dicendo, ut neque de simplicitate sermonis majestas, neque de majestate simplicitas quidquam detereret. Non verborum flosculos, non argutias orationis sectari; nec tamen aut rusticitatem amare, aut placere sibi in incultâ negligentia. Ita ingenii sui indole comparatus erat, ut comptus esset à naturâ, non calamistris inustus. Non ille servire muliercularum palato, aut cirratorum auribus; sed eruditæ multitudinis genium ac gustum sequi. Non asperitas sermonis inerat, sed temperata lenitate severitas; non lima exactior, sed neque scabra aut hiulca oratio; Quo fiebat, ut hominum animos pertraheret, quòd veller, siquidem fuci expertus erat ac cerussa; neque tamen audientium abs se frequentiam abalienaret, aut moveret delicatioribus fastidium

fidium, siquidem nativâ quadam pulchritudine eminebat.

Et verò quid difficilius quàm inter hos Eloquentiæ fines ita consistere, ut neque styli exquisita mundities fidem dicenti detrahat, neque horridior sermo pariat nauseam audientibus? Quo quidem in duplici genere eo peccatur frequentius, quòd qui sunt amœniore ingenio nati, vix abstineant ab exquisito sermonis apparatu, qui verò inter abstrusiores disciplinas educati sunt, neglecti plerumque & incompti incedere videantur. Hinc æstimate, Auditores, Eloquentiæ Sacræ incommoda, cujus perfectam atque omni ex parte absolutam formam nemo attigerit, nisi qui hæc duo contraria inter se ac penè pugnantia conjunxerit, simplicitatem dico ac majestatem dicendi.

Jam verò quid de Forensi Eloquentiâ dicemus, Auditores? Illius quidem hæc fors est, ut nihil ex argumenti splendore pariter ac majestate difficultatis contrahat. Fuerit hæc olim Atheniensis Romanique Fori dignitas, suum ut decus & ornamentum non magis ab Oratorum ingeniis atque industriâ, quàm ab ipsâ argumenti amplitudine Eloquentia traheret: cum gravissimæ generis cujuscumque res in contentionem Fori controversiamque inciderent: cum momenta pacis ac belli, Regum Principumque fortunæ, publica negotia, Magistratuum jura, honorum ac dignitatum rationes nusquam, præterquam in Foro, expenderentur, agitentur, definirentur!

Extimuit Philippus victor orantem Athenis Demosthenem, eundem gravissimum rebus à se prosperè gestis obicem sensit; &, quem armata totius Græciæ manus triumphantem non retardarat, is vix superabilem in uno Oratore moram expertus est. Vidit Roma Tullium, unius linguæ præsidio, dominari populorum animis, coercere

improborum audaciam, statuere ac refigere pro arbitrio leges, donare fasces vel auferre, eripere arma tam perniciosorum civium, quam irati victoris è manibus, inclinanti in ruinam Reipublicæ salutem, fiduciam, incolumitatem præstare.

Nunc verò quæ tandem supersunt in Foro prisca dignitatis vestigia, & quò veteris Eloquentiæ splendor recidit? In componendis privatorum negotiis occupatur Oratorum solertia, neque ullam penè ingenio suo aut facundiæ parem causam habent. In jus vocas? eo. Vadaris? sequor. Quid tum postea? de agelli finibus, de sarcicendis tectis, de stillicidiis instaurandis agitur controversia. Eadem messem quam Forensis Eloquentia invadat! Eadem campum in quo exultet!

Verùm si minùs feliciter comparati videntur ab iis rebus, quas pertractandas habent Forenses Oratores; si neque tam vastam neque tam feracem ac speciosam nacti sunt dicendi aream, itane reliquis destituta præfidiis hæc Eloquentia dicenda sit, ut argumenti, ut sic loquar angustias atque egestatem, ipsa eùm dicendi varietas ac novitas, tum petitus ab arte lepos, tum orationis gratia atque concinnitas abundè non compensent? Age; quàm varia, quàm multiplex dicendi ratio Oratori Forensi se offert, qui nunc accusandi vices obeat, nunc defendendi partes tueatur: qui jam in dicendis causis rerum agendarum hortator, jam conversis studiis earumdem diffusor accedat: qui modò controversias juris excutiendas habeat, modò in revincendis probandisque factis insudet?

Quid dicam de ipsâ argumenti novitate, quâ Forensis Orator non mediocriter adjuvatur? Magnus quidem est, & nullis penè definitis terminis campus ille, quem Orator Sacer decurrendum habet; at quàm tritus idem, quàm sæpè multorum vestigiis impressus! Quis est tam hospes, tam peregrinus

grinus facris in rebus, qui Oratoris mentem statim non occupet, & ab orationis exordio rerum dicendarum seriem non præsentiat? De Inferis agendum est sacro è pulpito? at præconceptam à me vel à teneris unguiculis mentem Orator non superabit. De cœlesti patriâ perorandum? at non æquabit oratione injectam mihi ab ipsâ pueritiâ expectationem. Scilicet qui sacram ad concionem conveniunt, audierunt sanè centies iisdem de rebus differentes. Magnum quiddam est vincere in hac parte audientium fastidium, & in argumentis jam cognitis aliquâ novitatis specie animos permulcere.

Quanto potior est Oratoris Forensis conditio, cui vel in uno dicendi genere tanta varietas & rerum novarum series occurrat? Agite enimverò, quàm multiplicem quotidianæ litigantium controversiæ pariunt causarum ubertatem? quàm multa singulis prope diebus nascuntur in Foro inusitata prorsus & inaudita dicendi argumenta, quæ curiositatem excitant, stimulant attentionem, & ipsam dicentis acruunt industriam? Cogitate, si potestis, quàm diversâ ex contentione fortunarum, ex patris, ex fœderibus, ex conjugii, ex hæreditatibus, procreentur quæstiones, actiones novæ instruuntur, in quibus ingenium & solertiam Causidicus exerceat. Hæc porrò quanto minùs trita sunt ac per-vulgata, tanto delectant magis ac placent. Hinc videas compleri sedilia, concurrere multitudinem, densari turbam hominum, & ab ore dicentis pendere plurimas horas sine fastidio, qui concionis sacre moram brevior non ferrent.

Accedit & illud Oratori Forensi commodum non vulgare, Auditores, quòd plus ab arte ipsâ præfidii, quàm sacer mutuetur: quòd orationis omnes flosculos, omnes veneres ac gratias non modò sectari impunè possit, sed nec tolerabilis quidem

Hh 5

habea-

habeatur, nisi aurium delectationi seruiat. Nam quanto implicatiùs & minùs iucundum dicendi genus illud est, in quo laborat is Orator, tanto plus amœnitatis requirit, unde temperetur identidem, & Eloquentiæ politoris suavitate condiatur. Hinc apud illos Figurarum usus & frequentior & audacior; hinc illa lætissimarum rerum seges tam à veterum historiarum monumentis, quàm ab ipsis Fabulis Poëtarumque fictionibus petita, quam solerti ac peritâ manu Orator Forensis nunquam adhibet, quin oratio comptior & ornatio existat. Nam quid hinc loquar Furiarum officinas, Sirenium voces, Circeæ pocula, Ulyssis labores, mansuescere dociles Amphionis ad sonum feras, & alia id genus; quæ Tullius gravissimis etiam in causis, cùm de capite fortunisque Clientum ageretur, non sine incredibilem audientium voluptate adhibebat?

Mitto liberales jocos, quos Orator Sacer, quàm providere debet sedulò ne usurpet unquam, tam prudenter potest in loco Forensis emittere. Neque verò Tullium eundem, vel dum res tractabat maximè serias, puduit identidem spargere lepidos & urbanos sales, quibus id evincebat nonnunquam, quod fortissimis argumentis non expugnasset. Nec erubuit ob eandem causam appellari à Catone Consul ridiculus: adeò noverat experientiâ, non placere tantùm ac delectare in Oratore Forensi lepidam dicacitatem, sed Ridiculo plerumque quàm acri fortius ac melius res secari!

Et verò quinam audiuntur in foro lubentius? qui consequuntur plausus confertæ multitudinis? quos sibi patronos clientes ambiunt, nisi qui litium tricarumque austeritatem festivitate ingenii & sermonis elegantiam temperare norunt? Unum proferre possem è multis, quibus etiamnum hodie abundat Curia, unum, inquam, cui jampridem applaudit illa, nec applaudere desinit, quia novam in
dies

dies plaudendi segetem suppeditat; cuius de lepore ac gratiâ nihil anni recedentes ademere, qui tam disertus, tam factus est ad dicendum, nunquam ut festivus magis ac gratus videri soleat, quàm cum adversarium excipit ex tempore, & imparatam defensionem agit; qui quàm optabilis in foro patronus, tam amicus dulcis, tam gratus hospes, tam genialis conviva primariis quibusque Magistratibus concreditur; qui numerosæ sobolis parens suavissimum hoc nactus est solatium, ut in liberis paternam gloriam, & suæ eruditionis ac politioris facundiæ æmulationem videat adolescere; qui denique, si vel in Atheniensi vel in Romanâ Republicâ natus esset, tam facilem sibi ad honores amplissimos, quàm istorum temporum Oratores, aditum aperuisset.

Hæc est igitur Oratoris cum Sacri tum Forensis conditio, Auditores, ut in iis argumentis, quibus tranctandis incumbunt ambo, plus dignitatis alter ac majestatis, alter plus varietatis nactus videatur. Habet Orator Sacer vastum dicendi campum, sed eundem tritum ac per vulgatum: habet arctiorem Orator Forensis; at eundem novitatis gratiâ præcellentem. Ille cavere debet inprimis, ne rem grandem ex se se, petitis impensius ab arte subsidiis, elevet ac deterat: hic ut tenue naturâ suâ argumentum Artis luminibus & ornamentis decoret: illius oratio gravis semper & austera sit; hujus lepida identidem & jocosa feratur & incedat. Magnus in utroque diuturnusque labor requiritur, ad cumulatam perfecti Oratoris laudem assequendam: major cautio, ne laboris assidui contentionem in altero immoderata laudum cupiditas, in altero lucri amor sordidus dedecoret.

Tamen non caruit, aut etiamnum caret nostra hæc ætas perfectis Oratoribus, qui tam Forum quàm sacras exedras eloquentiâ suâ commendarunt.

runt.

runt. Atque ut abstineam ab iis qui in utroque curriculo tam laudabiliter hodie decertant, certe præterire non possum geminum illud Eloquentiæ Forensis ac Sacræ lumen, quod ereptum nobis tanto desideramus acrius, quanto illustrius in utroque suspeximus exemplum pariter ac documentum; Lamonium dico ac Burdalæum. Neque enim fas est alterum ab altero vel post mortem sejungere, quos tam antiqua, tam arcta, dum viverent, necessitudo conjunxit. Amabat Burdalæum Lamonijs, & sibi gratulabatur inprimis, qui talem haberet amicum. Pari in Lamonium affectu Burdalæus ferebatur, & eo, quo decebat, loco tam illustris Viri benevolentiam reponebat. Hos porrò nexus indolis similitudo, par in utroque fides ac probitas, mira voluntatum consensio, & in conditione vitæ tam dispari, non absimilis consuetudinis ratio vinxerat. Ille dicendi laude clarus in Foro, totius Curie animos rapiebat in admirationem sui; hic divini verbi præco mirabilis non visam hæctenus, nemini imitabilem Eloquentiæ formam exhibebat. Erant in utroque dotes illæ cum à naturâ, tum ab arte, quæ perfectum cumulatumque Oratorem faciunt. Lamonijs sublimitate ingenii, perspicaciâ excelsæ mentis rebus obscuris ex sese, perplexis & ingratis lucem, dignitatem, gratiam accersebat: Burdalæus acres, vividos, celeres animos nactus sacri eloqui majestatem totam, quanta est, audientium mentibus offerebat. Nihil latebat illum, quod ad perfectam Juris utriusque scientiam, ad resolvendas quas-cumque causarum ambages pertineret: huic nihil ad plenam divini juris intelligentiam, ad retegendas abstrusi cordis latebras deesse videbatur. Illius magnifica, nobilis, elata oratio; hujus viva, sublimis, incitata. Ille sermonis elegantiam,

nam, hic majestatem referebat; ille recreabat animos actionis amœnitate, hic gestûs ac vocis gravitate percellebat. Alterum ambiebant omnes controversiarum suarum judicem atque arbitrum; alterum vitæ morûmque moderatorem peroptabant. Lamoniùs adeunti se nemini consilium, opem, patrocinium abnuebat: Burdalæus imis pariter ac summis sese in omne obsequii genus ultro impendebat. Digni antro, quos suspiciat posteritas, & absolutæ Eloquentiæ & Amicitiaæ fidelis exemplum!

Hactenus agitavimus, Auditores, an ab argumento, quod Eloquentiæ cum Sacræ, tum Forensi tractandum incumbit, altera sit alteri præferenda. Nunc, an ab iis, apud quos utraque dicendum habet, præstare alterutra videatur posteriore orationis parte perpendamus.

II. P A R S.

Quàm sunt dissimiles sui invicem Orator Sacer & Forensis, tam diversa utrique concio, turbâque audientium solet contingere. Hinc video concurrere multitudinem hominum infinitam, & multò antè complere sedilia, quàm Orator Sacer ad dicendum accedat: inde se offerunt homines pauci, quos diu multumque Orator Forensis præsolatur, incertus an sit admittendus ad dicendum, an tempus in aliud remittendus. Hic conditionis cujuscumque, sexûs, ætatis magna varietas; illic, præter viros, penè nullus, eosdemque judices occurrit. Ex alterâ parte fulget aurî aut gemmarum plurimum, & dicentis oculos amœna quædam colorum varietas recreat: terret ex alterâ pullatorum Procerum majestas & canities venerabilis. Multos trahit in templum inanis curiositas:

cogno

cognoscendæ veritatis amor omnes in Forum adducit. Illi veniunt plerumque ut censuram; hi semper ut æquitatem exercent. Habet id commodi Orator Sacer, ut reluctantes sentiat paucorum animos; id incommodi Forensis, ut inveniat multos præjudicatâ opinione laborantes. Convictis semel animis, qui dicit in Foro, nullo negotio voluntates ad agendum inclinat: qui verba facit in templis, sæpè pertinaces invenit, & eosdem sequentes deteriora, qui meliora probaverant.

Verùm infinitus ego sim, Auditores, si hæere velim in singulis. Ergo demus hoc Oratoribus Sacris, si tamen hoc omnes jure sibi gratulantur, ut dicant semper apud confertam multitudinem; ut pascant oculos admirabili illâ varietate, quam apparatus magnificentia efficit. Hoc sibi Oratores Forenses vindicent, quòd neque curiosos inaniter, neque censes pravè, sed cupidos veri & amantes æquitatis Auditores nacti sint. Illud scrutemur porrò diligentius, in quo laborant studiis paribus, aut certè laborare debent, hinc Forensis quidem, ut verbis astruat fidem, & inclinat in partes suas animis persuadeat quod demonstrandum suscepit: indè Sacer ut propensis jam sponte suâ ad assensum mentibus, voluntates ipsas cogat ad complendum re ipsa opere, ac faciendum id, cujus suator & hortator accessit.

Sic enim statuo, Auditores, esse hoc Sacram inter & Forenses Eloquentiam singulære discrimen, ut hæc ad convincendas mentes nata sit tota, illa ad permovendas voluntates. Agite, Præsides Illustrissimi, Amplissimi Senatores, (liceat enim mihi, cum eâ, quâ par est, reverentiâ, interpellare vos, & vestrum ipsorum judicium perscrutari:) agite, inquam, quid ab Oratoribus

ribus vestris, cùm agunt causas in Foro, requiritis? quid ab eorum ingenio, eruditione, solertiâ expectatis? quem inter cæteros bene feliciterque gesti muneris tulisse laudem arbitramini? Scilicet qui rem, de quâ movetur controversia, planè, breviter, nitidè exposuerit; qui, quod erat obscurum, retexerit; quod implicatum, dissolverit; quod plenum tricis atque ambagibus, expedierit; qui causam momentis suis fulcierit; qui legum vim, consuetudines regionum, populorum instituta, & quæcumque ad constitutionem causæ demonstrandam pertinuerint, diligenter explanarit. Quod ubi perfecit semel, ubi nihil prætermisit ad cognitionem controversiæ necessarium; quid ultra desideret vestra vel perspicacia, vel æquitas? quid cunctemini dirimere litem vestris judiciis, & decretoriam inter contendentes ferre sententiam?

Quod si Oratorem finitis in Eloquentiæ campo liberiùs decurrere; si per vos Causidico licet aliquando artis Oratoriæ amœnitatem atque elegantiam, & quod illa suppeditat ad permovendos affectus inclinandasque voluntates, præsidium usurpare; hoc vestræ humanitatis atque indulgentiæ est, Viri Illustrissimi, qui fovendam stimulandamque putatis in Oratoribus præsertim junioribus æmulationem atque industriam; qui censetis hoc pertinere ad dignitatem & magnificentiam Fori, ut non incompta penitus, inconcinna & inornata afferatur oratio. Vel si vos etiam juvat ac delectat culta, nitens & arguta Eloquentia; quis hoc vobis invidet assiduitatis vestræ contentionisque leve solatium, ut fatigatæ perpetuis litigantium rixis ac jurgiis aures dicendi suavitate paulisper recreentur?

Valeant

Valeat enimverò veteris illius Areopagi rigida præter modum & austera nimis severitas, quæ nullum omnino Eloquentiæ locum esse patiebatur, & quæ tam metuebat sibi ab Oratorum lenociniis, nihil ut præter nudam & informem rationum molem atque compagem admitteret. Ibi perennibus in excubiis collocata mentis acies tam sedulò præcavebat ab illecebrosis inclinatae voluntatis insidiis, ut in dicente non tantum actionis omnis venustatem atque decentiam, sed quoslibet corporis motus, variòsque vocis inflexæ sonos proscriberet. Quanto potior Curia vestrae ratio, Viri Sapientissimi, quanto consuetudo laudabilior, qui, cum in exercendis judiciis priscam Atheniensium illorum severitatem retinueritis, non ablegandam tamen è Foro disertioris politiorisque Eloquentiæ æmènitatem, sed potius omni studio ac patrocinio vestro tuendam judicaveritis!

Quàm diversa est Oratoris Sacri conditio? quanto gravius ipsi subeundum onus incumbit? Parum est depulisse mentis caliginem, eandem illustrasse veritatis æternæ luminibus, nisi voluntatem sic inclinet pariter, ut illa vel fugiat, vel sectetur ultro, quod fugiendum vel sectandum ipsi proponitur. Quanquam dicamus quod res est; vix ullus est Oratoris Sacri labor in expugnandis eorum mentibus, apud quos dicturus est.

Vestram ipsorum fidem, Auditores. Ecquis venit ad concionem sacram cum præjudiciis, aut quis facilè non deponat illa, si quem peritum nactus erit doctrinæ cœlestis interpretem? Scilicet divini verbi illa vis est & auctoritas, ut relictantes etiam trahat ad sese, neque liberam mentis relinquat dissentendi moram. Imò vel in iis rebus, quæ ad institutionem vitæ, morumque emendationem

datio

rationem pertinent, date mihi aliquem tam fervientem liberæ consuetudini, tam amantem deliciarum, in cunctis officiorum partibus tam oblitum sui, tam negligentem, tam incurium, cui non persuadeas esse aliquid melius, quod sequatur? qui arcanis stimulantis naturæ, rationis, Religionisque motibus admonitus, non accuset semetipsum tacitus, & moratam vitæ formam, immoderatâ cupiditatum licentiâ potiorē esse non judicet? qui laudator ultro non accedat virtutis ac probitatis, quantumvis pertinax vitiorum sectator existat. Nihil est ergo, quod Orator Sacer defudet tantum in erudiendis expugnandisque mentibus, quæ nec suscipiunt ægrè, quod infoveris, nec expugnari se, tam graviter patiuntur; sed aggrediatur ille voluntatem necesse est; hic oppugnandus hostis, vincendus idem ac debellandus est; aut spes triumphi nulla certanti relinquatur.

Hinc æstimate, Auditores, quid Oratori Sacro, quid Forensi præstandum sit; quorum alteri trahenda in partes suas mens audientium; alteri voluntas, quod velit Orator, adducenda sit. Quod utrinque dum exequuntur ambo, uter ferat majorem laudem & alteri præferendus videatur, operæ pretium est expendere.

Rem arduam inprimis & laboriosissimâ contentione plenam suscipit Forensis Orator, qui consensu dicendô meditetur, ut, quod æqui bonique censet ipse, id iptum omnes pariter censeant, ut reclamantem sententiæ suæ neminem experiatur; ut, quod statuendum, vel refigendum esse judicaverit, hoc vel statuatur cæterorum calculo, vel Oratoris ad arbitrium continuò refigatur. Quales enim verò sunt illi, quos inclinare debeat ad assensum, & ad suos ipsius sensus induendos illi-

tere pertentet? Cogitate verendum illud Magistratum concilium, apud quos Orator, identidem junior, causam difficilem, implexam, dubii ancipitisque juris acturus est! Representate vobis viros illos, ingenio, eruditione, prudentiâ, longo rerum forensium usu exercitatos; quorum sagacitatem atque perspicaciam nihil fugiat; quibus inani phaleratæ orationis apparatu facere fucum non possis, qui larvas inter & adscitum extrinsecus ementitæ veritatis habitum, quod verum ac sincerum est, deprehendere didicerunt; qui controversiam totam, de quâ movetur quæstio, penitiùs ipsi plerumque cernunt, quàm Orator ingeniosus quantumvis, & diu multumque meditatus valeat perspicere.

Mitto præjudicia, quæ nonnunquam illi afferunt ad causam tam varia, tam pugnancia inter se, quàm multi sunt iudices, qui ad dirimendam litem conveniunt. Non illa quidem, aut errore, aut ullo mentis vitio parta, sed quæ ratio ipsa, legum ambiguitas, regionum consuetudines, juris formulæ, captiosæ Procuratorum artes procreant. Interim sese moveat Orator omnem in partem, exerat ingenii vim, solertiam expediat, adhibeat omnem delicatioris Eloquentiæ suppellectilem; sit vehemens, acer, sublimis in dicendo: Non carebit ille quidem laude suâ; dignos ingenio, dignos facundiâ, dignos eruditione plausus feret; etiam politus, elegans, disertus habebitur. At, nisi solidis rationum momentis ac ponderibus præjudicia omnia expugnaverit; nisi causam ipsam suo firmamento ac robore instruxerit; nisi sepultam inter altas errorum tenebras & ambiguos tricarum nodos veritatem solers eruerit; nisi eandem nudam, qualis est, & nativâ luce coruscantem iudicum mentibus ostentârit; nihil
aget

aget Orator, nihil promovebit, causam non vincet. Atque ut insidentes alto pelago scopuli, quos circum tumidi fluctus obtrepunt, non moventur impetu vel murmure, sed varios inter reciprocantium aquarum tumultus mole suâ stant: ita Caufidicorum clamores obtundunt quidem aures Judicum; at mentem ipsam non evertunt, non commovent.

Ergo veritati unî perscrutandæ studeat, cujus apud eos habenda sit oratio, quos una veritatis ratio percellit ac mover: sic illam spoliet ab omnibus simulationum involucris, ut defæcata refulgeat animis, morâsque rescindat omnes, quæ cohibere aut retardare assensum solent. Id porro quàm difficilis operæ est? Quis Orator tam felix in dicendo, ut tam multas inter veritatis umbras ac simulacra, id assequatur, quod verum est, & quod ipse sensit ac vidit, id exhibere possit tam purgatum ab omni disputationum contentione, ut audientium animos afficiat pariter, & quadam necessitate vel reluctantes ad suffragandum impellat?

At Orator facer, Auditores, cujus est ita movere voluntates hominum, ut ea sectentur illi, vel fugiant, quorum auctor, vel dissuasor accedit, an molitur quiddam arduum minùs & minùs operosum? Laboriosa quidem res est, fateor, & plena difficultatis expugnare mentem: sed ubi refluxit semel illius oculis veritatis splendor, vincitur illa nihilominus, necessitate quadam ineluctabili inclinatur in verum. At voluntas sui potens usque & actionum suarum domina, nullius imperium timet. Habet illa quidem molles aditus, quibus circumveniri possit: demulceri se ultro blanditiis, illecebris capi, imò vim amicam interdum fieri sibi non tam ægrè patitur. Verùm nec

servire, nec ferre didicit jugum. Dat legem, ipsa non accipit; victrix illa semper superborum hostium, victorem agnoscit nemitem.

Igitur Sacri Oratoris est scrutari diligenter molles illos aditus, per quos oppugnari voluntas potest; odoretur necesse est varium illud illecebrarum genus, quibus illa capitur: si vis adhibenda sit nonnunquam, nōrit ille penitus, ita lenitate vim ipsam temperare, ut amica semper, nunquam ingrata videatur. Hinc verò quantum Oratori negotium facessitur, qui rimandas habeat & quasi degustandas voluntates tot hominum, quibuscum nulla societas, nullum sibi commercium est; quorum indolem, sensus ac mores, ignorat; qui cum ingenio, tum studiis, tum conditione dissimiles, nec eadem existimant, nec sentiunt, nec expetunt, nec volunt!

Equidem scio, ut eodem fere modo sumus omnes à naturâ comparati, & ex eodem conficti limo, ita eadem penè fugere singulos aut prosequi eadem odisse vel amare, atque aded magnum in se ipso Oratorem habere præsidium, ad præsentendum, quâ potissimum parte moveantur ceteri, aut in quid propendeant, si suis ipse motibus attentus rimetur proprias animi latebras; si penitiores cordis sui recessus scrutatus diligenter, inspiciat ipse quid velit, quod feratur, quibus afficiatur magis, unde metuat, vel speret; doleat vel lætetur; irascatur aut placetur; oderit vel amet. Tamen id ipsum nōsse, quàm paucorum est, Auditores, hoc studere unum, hoc feliciter assequi, ut oratio non tam ingenii aut eruditionis, quàm naturæ ipsius fœtus videri possit! Quibus demum hanc laudem in hac ætate nostrâ sacrorum Oratorum tam feraci gratulabimur?

Fuit

Fuit hæc enim verò, inter dotes plurimas Oratoris illius, * quem immaturo raptum fato luximus jam pridem, vera ac sincera laus, qui naturas hominum vnique humanitatis omnem sic attingerat: ita perviderat causas omnes, quibus voluntas impellitur aut reflectitur, qui tam habilis erat ac peritus in retegendis explicandisque pectoris humani latebris; nihil ut sentire videretur, nisi quod natura ipsa sentiret; adeoque cognatione naturæ & quasi concentu quodam atque consensu eosdem omnino motus affectusque in audientium animis efficeret.

Jam quotus eorum est, præter eos quos civitas suspicit & admiratur Aula, quotus, inquam, eorum est, qui personam Oratoris Sacri etiam cum aliquâ dignitate sustinent, qui in rimandis pectoris humani latebris sciendisque opportunè motibus solers audiat? Video declamatores multos, qui in hominum vitia acriter invehuntur, & rigidam morum censuram gratis exercent. Video qui magnam eruditionis sacræ suppellectilem circumferunt. Video qui clamores efficiunt apud multitudinem, & magnificum ex totâ civitate concursum populique effusiones trahunt ad se se, quas sacrarum ædium ampliudo vix capit. Video qui verborum pompâ, leporumque ac gratiarum phaleris politorum hominum delicatis auribus blandè assentantur; hoc felices satis, si placeant.

Egregiam verò laudem! Huccine recidat Oratoris Sacri dignitas, qui pro Deo ipso legatione apud homines fungitur! Liceat hic mihi, adversus istos futilis gloriolæ aucupes, usurpare Horatianum istud in Pictorem imperitum, qui in exprimendis ad vivum nugis artem ponebat suam, dum naufragium, imperati operis summam, levi-

* P. Cheminais.

ter adumbrabat. *Et fortasse cupressum suis simulacra
re? quid hoc, si fractis enatat exspes navibus, ere
dato, qui pingitur? Placent enimverò Oratores
polituli? quid hoc, si is, qui audit, nullis consci-
entiae suae stimulis acuitur? si nullam vitiorum tur-
pitudinem percutitur? si nullo virtutis studio in-
flammat? Quid hoc, si peractam concione tam
cupidus appetensque rerum caducarum, tam ini-
quus alienae laudis aemulator, tam perditus luxu
ac voluptate recesserit, quam si ad ludicram aliquam
declamationem convenisset?*

Sed transgressus ego fortè videar officii me-
tas, & non tam Oratorem agere, quam censo-
rem. Redeo ad propositum, Auditores, neque
enim unam hanc difficultatem patitur Orator Sa-
cer, quod voluntatem superbam naturam, & suae
libertatis amantem expugnandam habet. Ecce
vincendi se offerunt hostes multò plures, qui
voluntatem ipsam obsident, & inextricabilibus
nexusibus saepe revinciunt. Fingite vobis numero-
sam illam variarum cupiditatum cohortem, quae
durissimam mortalium in cordibus dominationem
exercent. Hinc ambitio pugnat, illinc avarities:
hic degener livor iram acuit, illic crudele odium
vindictam suscitatur: hinc desidia mollis torpo-
rem ac veternum fovet, inde fera libido funestas
faces incendit. Quis Orator tam solers, tam
sciens pugnae, in illo bellandi genere tam peri-
tus, qui vel aggredi tot monstra, vel etiam so-
lus cum solo congregari non pertimescat? Cedo
mihi aliquem, qui, non apud se, dico, sed alie-
nis in castris frangat ambitionem, avaritiam co-
erceat, iram temperet, odium extinguat, libi-
dini moderetur? Quid? cum laceffendi simul
& profligandi uno impetu tot hostes, qui se con-
spirant-

spirantibus studiis, & junctis quasi umbonibus tuentur ac defendunt?

Hoc ipsum est tamen, quod Orator Sacer præstandum in se recipit, dum infectatur vitia, dum virtutis amorem inspirat, dum corruptos liberiore licentiâ mores revocare ad sanctissimam disciplinam contendit. Quod nisi exequatur feliciter, nisi in deliniendis cicurandisque belluis illis ferocibus, aut iisdem reprimendis domandisque fortiter solertiam, vim, operam opportunè collocet: quis erit Eloquentiæ Sacræ fructus, Auditores? quò demum ars illa præstantissima pertinebit, nisi ut palæstræ cujusdam umbratilis aut theatralis scenæ formam atque imaginem exhibeat?

Tamen absit, Auditores, ut difficultatum metu deterriti ab ingrediendo tam laudabili curriculo refugiant, quos egregiis ad obeundum Oratoris Sacri munus natura instruxit præfidiis, & divinæ gloriæ nobile studium incendit. Nihil tam arduum tamque operosum est, quod labor improbus & amor ingenuæ laudis non vincat; tantòque solet esse fructus ex victoriâ dulcior, quantò carius redimi illam oportuit.

Quod ad me attinet, expendi pro virili parte propositæ Quæstionis controversiam. Intellexistis primùm, quid Orator Sacer, ex argumenti quod tractat, simplicitate simul ac majestate; quid Forensis ex tenuitate rerum forensium artisque Oratoriæ subsidio commodi pariter atque incommodi traherent. Sensistis deinde, quantum utriusque laboris incumberet ab audientibus, alteri qui mentem ac præjudicia mentis evertenda, alteri qui voluntatem cum cupiditatibus haberet expugnandam. Quid restat, nisi ut pro vestrâ perspicaciâ atque æquitate rem totam decretoriâ sen-

tentiâ dirimatis? Est hoc operum vestrorum, Viri
utriusque Ordinis amplissimi, qui tam eximium
rerum utilium gutum nacti estis: quorum ex ar-
bitrio cæteri uniuscujusque in dicendo facultatem
æstimant: quibus debent ingenii, eruditionis, Elo-
quentiæ famam, si quâ fruuntur, Oratores tam
Sacri, quàm Forenses. Ego certè honori ducam
inprimis vestrum in eâ re, uti in cæteris, ju-
diciam venerari.

Oratio habita Anno Dom. M. DCC. X.



IN-